Accedunt res leviores multae, quae quamquam nihil fere valent singulae, tamen si universas spectes, haud parvi momenti esse dicas. Ac primum quidem id, quod statuit Woelfflin, ipsum A descriptum esse ex codice aliquo saeculi noni litteris minusculis scripto, lacunis illis maioribus, quas supra commemoravimus bene confirmatur. Plus tamen nostra id interest, num qua aetate communis codicum A et π et ρ archetypus conscriptus sit, ex litterarum confusione cognosci possit. Mutantur autem hae litterae: *c* et *i* (24, 4 *caesareani;* 28, 5 *decemanorum;* 40, 12 *gravissime*; etc.); *e* et *t* (108, 13 *eum, tum, cum* ; *i* et *t* (22, 5 *et;* 106, 5 *iam?*); *b* et *d* (66, 13 ∞ *B;* 116, 3 *ad se*); *p* et *t* (42, 3 *contulerunt*) etc. Praeterea conferendi sunt loci, quibus aut littera in fine verbi posita bis legitur (31, 5 *recentis siti;* 28, 6 *quis sim*) aut verba falso discernuntur (60, 3 *tam densius;* 69, 10 *iugira dies;* 70, 4 *prime questris;* 102, 7 *eo quod;* 115, 5 *de eorum;* 123, 13 *noni graviter;* 135, 2 *utice gressus;* 135, 3 *imperatorio viam;* cf. 104, 4 et 144, 17, ubi simile mendum exstat in β, vera lectio servata est in A).

Quibus minutiis hoc sane demonstratur codices A π ρ natos esse ex archetypo quodam non solum litteris maiusculis conscripto, sed in quo ne verba quidem distincta fuerint. Neque minus elucet codicem A non ex ipso β, quamquam satis multis cum eo congruit corruptelis,

---

[1]) Apparet omnibus his locis singulas vel binas exemplaris lineas omissas esse, id quod tribus eo facilius fieri potuit, quoniam eadem vox bis legitur, ita ut facile ab altera in alteram aberrare possis. De septimo loco horum simili (53, 6) **infra** accuratius erit disceptandum.

potuisse manare. Quod cum ex omnibus, quos initio tabulae attulimus, locis, quorum plurimis lectio in A tradita unice vera a librario inveniri non potuit, tum inde perspicitur, quod non semel per A voces servatae sunt, quae defuerunt in β; cf. 4, 3 *mandatis;* 33, 11 *equoque*; 100, 4 *frumentandi gratia*; 117, 8 *ad;* 117, 13 *vigilia.* Immo ex primo codicum nostrorum archetypo et A manasse (vel archetypum. eius) et β statuendum est[2]).

Iam antequam de auctoritate codicum A et β, uter utrum superet, quaeramus, de D² δ Rh verba faciamus oportet. Quos quamquam artiore quodam vinculo cum A coniunctos esse facile cognoscitur, tamen quomodo cum illo cohaereant difficillimum est dictu. Quae res ut discernatur, primum inter A et δ comparationem instituamus et lectionum similium praeter eas scilicet, quae insunt in tabulis p. 51—53, praestantissimas afferamus:

6, 8 sese *A δ Rh*; se β (*om. V*) — 7, 2 redit *A δ Rh*; rediit β — 16, 5 celerinam *A Lov. Rh*; cellerinam *D²*; celerimam δ; cerinam β — 24, 8 componit *A δ*; opponit β — 25, 10 succurrent *A*; succurrunt δ; succurrerent β — 27, 2 hostes *A δ*; hostis β — 30, 9 concurrunt *A δ*; occurrunt β (proc. *V*) — 34, 8 nonarum *A δ*; non̄ β — 35, 11 armaturae *A D² δ*; armatura β — 36, 2 sciris *A*; scirisque δ; syris β — 36, 7 sagittasque telaque *A δ*; sagittas telaque (tela *M*) β — 42, 3 contulerunt *A*; contulerant δ; conpulerunt β — 42, 4 advertit *A δ*; avertit β — 43, 7 elota *A D² δ*; eluta β — 49, 7 petronius *A D²*; praetonius δ; praetorius β — 54, 1 prius *A δ*; propius β — 57, 2 collectis *A δ*; electis β — 63, 7 cohortatisque *A*; cohortatosque δ; cohortatusque β — 65, 5 praeveteres *A δ*; perveteres β — 69, 11 ut xitta *A*; ut xita δ; uzitta (uzytta *P*) β — 71, 8 in cornu (cornum *A*) dextrum ac sinistrum *A δ*; in cornu dextro ac sinistro β — 74, 3 tempestata *A δ*; tempestate β — 78, 1 saxe *A*; saxorum δ; saxea β — 79, 5 usu *A δ*; usui (usus *UF*) β — 80, 11 sittius *A*; sicio δ; contra sittium β — 81, 5 suspensiore animante *A*; suspensione animi ante δ[3]); suspensiore animo ante β — 83, 1 progredi *A δ*; transgredi β — 83, 8 ablata *A D² δ*; oblata β — 85, 4 tum facile *A δ* (*hic* hostem si); cum β — 87, 5 in qua ··· regione *A*; in quam ··· regionem δ; in quas ··· regiones β — 88, 6 casulam *A δ*; causulam (causalam *V*; causam *F*) β — 89, 12 paci *A δ*; pace β — 90, 3 missoque *A δ pr.* π; missosque ρ — 90, 5 navi *A δ*; nave (navem *V*) β — 93, 4 fugit *A δ*; fuit β — 95, 3 verebatur *A δ*; verberatur (-rabatur *V*) π; verebaturque ρ *D²* — 102, 7 eo quod *A*;

---

[1]) Cf. etiam infra ad 126, 2 *plumbique.*

[2]) Quod si quis neget, tunc nihil restat, nisi ut lectiones illas ex alio codice ab nostris alieno in A pervenisse credamus. Sed de hac re cf. infra, ubi A π cum ρ componentur.

[3]) Suspensiore animi ante *habet cod. Cuiac.*

eoque δ; equo β — 106, 11 lepte *A*δ; lepti β — 109, 4 legionis *A* δ; legioñ *P*; legiones *V*; legionum *vel* leg ρ — 110, 10 equitatum *A*; equitatuum δ; equitum β — 110, 15 infertos *A* δ; infectos *P*; infestos *V* ρ — 111, 10 communicarenturque *A* δ; comminarenturque β — 115, 5 de eorum *A* δ; deorum β — 117, 3 sassuram *A*; sasuram δ; sarsuram β — 117, 13 *cf. supra p.* 51 — 118, 8 ferre *A* δ; ferret β — 118, 9 tribus cum cohortibus *A* δ; cum cohortibus tribus *P*; cum tribus cohortibus *V*; tribunum cum cohorte ρ — 121, 6 legionemque *A*; legionique δ; legionumque β — 123, 13 noni graviter *A*; graviter δ; non ignaviter β — 128, 2 quin *A pr.* δ; qui in (quid in *V*) β — 128, 2 periculo cum *A* δ; cum *alio loco habet V*, *om. P* ρ — 129, 1 patebant *A* δ; petebant β — 129, 14 consulte *A* D^2 δ; consulto β (*om. M*) — 132, 12 ex eorum *A* δ; eorum β — 133, 7 scipionis *A* δ; scipioni β — 135, 2 utice gressus *A*; utice egressus δ; utica egressus β — 136, 12 redimisset *A* δ; redemisset β — 137, 7 eodem die dam natos *A*; eodem die damnatos δ; eodem die demum natos β — 140, 2 familiaria *A*; familiari δ; familia β — 140, 13 reliquas *A* δ *V pr.*; reliquias β — 144, 9 umitatem *A*; unitatem δ; humilitatem β.

De lacunis illis maioribus una (143, 10) etiam in δ invenitur [1]), reliquis quinque locis facillimum fuit intellectu aliquid intercidisse. Minorum codicis A lacunarum δ praebet triginta septem; cf. 1, 8; 4, 5; 12, 7; 17, 2; 17, 11; 18, 8; 22, 1; 32, 10; 33, 2; 33, 6; 38, 1; (39, 7); 46, 7; (46, 9); 47, 8; 52, 3; 70, 11; 71, 2; 72, 6; (79, 6); 80, 11; (80, 15); 81, 6; 83, 11; 95, 3; 97, 3; 98, 1; 104, 8; 112, 9; (118, 9); 124, 9; 130, 6; 135, 11; (135, 16); 137, 12; (142, 11); 143, 4.

Verba in A omissa, quae leguntur in δ, haec sunt (24 loci):

7, 1 numerus; 7, 4 que; 9, 2 statim; 23, 3 eam; 28, 1 tiro; 31, 11 languide; 31, 12 que; 39, 8 in; 40, 2 armis; 41, 3 que; 46, 12 provinciam; 55, 2 atque; 56, 13 usi; 62, 6 a; 79, 6 non; (90, 2 in); 92, 7 eo; 102, 3 in salo; 109, 2 sarcinas; 118, 6 male; 129, 7 dimissis; 135, 1 pate; 138, 18 zamenses; 142, 10 peterent.

Similiter ubi in A verborum ordo ab β discedit, plerumque consentit δ (cf. 4, 1; 10, 5; 17, 11; 31, 1; 31, 5; 31, 7; 38, 2; 38, 4; 40, 7; 41, 4; 47, 4; 52, 12; 112, 8; 112, 12; 114, 13; 118, 9; 126, 4; 132, 11; 135, 16). Excepti sunt hi loci:

1, 4 iañ k. *A*; k. (*vel* kl̄ *etc.*) iañ β δ. — 21, 6 cognitum est *A*; est cognitum β; *locus deest in* δ — 22, 9 parvus ex castris numerus *A V*; parvus ex castris exierat numerus ρ; p. num. ex c. exierat δ; p. num. ex c. *P*; *in* δ *igitur legitur interpolatum illud* exierat, *quod ortum est ex ea verborum collocatione, quam praebet A* — 23, 2 procul conspici hostis *A*; procul hostis conspici β δ — 107, 3 cum parte profectus exercitus *A*;

[1]) Nisi quod in eo pro L legitur XXX.

cum parte exerc. prof. *PVMU*δ; profectus cum parte exercitus *F* — 116, 10 sarcinis interceptis *A*; interceptis sarcinis β δ.

Sed quamquam δ tot locis cum A congruit, ut eum ex eodem archetypo manasse sane nemo possit negare, tamen, ne hic subsistamus, nos monent et codicis δ aetas atque natura et loci nonnulli, quibus comprobatur olim plura congruisse, quam ex ipso δ cognosci potest. Non semel enim alii recentes, D², Lov., Rh, praebent lectionem cum A congruentem, quae non legitur in δ:

3, 7 est *A*; non est *Rh*; abest β; non abest *D²* δ — 8, 1 fortuitu *A D² Rh V*; fortuito *P* ρ; *om.* δ — 12, 5 itaque *A Rh*; ita β δ — 22, 8 magnum *A Lov. M U*; magnam π *F* δ — 38, 6 vacabant *A Lov.*; vacabantur π; vagabantur ρ δ — 38, 7 singulae *A Lov.* π *F pr.*; singulas *M U F corr.* δ — 43, 5 multi *A Lov.* π; multa ρ δ — 49, 3 audes *A D² Lov. V*; rudes *P*; audere ρ δ — 53, 6 lignandique *A Lov.*; aut lignandi β; *deest locus in* δ — 56, 13 usi *om. A Lov.* π; *habent* ρ δ — 57, 8 si *A Lov.* π; sibi ρ δ — 82, 15 transgredienda *A D²*; transeunda δ; transgrediendae β — 83, 3 ut praeterea *A D²*; et praet. β δ — 95, 4 corruptione *A D²* π; erupt. *U F* δ (*M*) — 107, 4 paucum *A D²* π; parum δ; pauco ρ — 126, 1 elephantes *A D² M*; elephantos π *U F* δ [1]).

Re vera multo plures esse tales locos, quam nos potuimus afferre, inde licet colligere, quod Lovaniensis desinit in cap. XXXIII, Rhedigerani non plus IX capita collata habemus; nam ex correctore Dresdensis in talibus rebus non multum nos lucrari posse facile intellegitur.

Atque etiam alia causa, ne discrepantias, quae exstant inter A et δ, pluris aestimemus, commovemur. Potest enim demonstrari in recentibus codicibus non modo multas inesse lectiones, quae librarii cuiusdam ingenio debeantur, sed etiam archetypum eorum, quem X vocare liceat, ex alio codice eoque ad familiam ρ pertinente correctum esse.

Videamus locos!

---

[1]) Cf. etiam 128, 11 *patebant* A et 129, 1 *patebant* A δ, ubi certe verisimilius est errorem bis commissum semel in δ correctum esse, quam primum 129, 1 in archetypo Ashburnhamensis, deinde in ipso A 128, 11 (i. e. priore loco!) eodem modo vocem *petebant* depravatam esse.

APV	M(N)[1]) DUFδ
22, 9 quorum parvus ex castris numerus *A V*; q. p. num. ex c. *P*	q. p. ex c. exierat num. *M D U F*; q. p. num ex c. exierat δ
31, 11 iam hostes ··· mittendi	cum iam hostes ··· mitterent *M* (*hi*... h. iam) *D U F*δ
31, 12 turmas *A P*; turma *V*	turmasque
36, 1 interponerentur	interponeretur
38, 6 vacabant *A Lov.*; vacabantur *P V*	vagabantur
38, 7 singulae *Lov. F pr.*	singulas
39, 8 deletam	et del. *M D U F*; deletamque δ *Lo*...*v.*
49, 3 audes *A D*² *Lov. V*; rudes *P*	audere
55, 12 existimabant	existimabat
56, 13 *om.* usi *Lov.*	usi
57, 8 si *Lov.*	sibi
60, 8 ᵐirati *A*; mirati *P V*	mirari
61, 1 propere fugisse	pro perfugis
62, 6 *om.* a	a
62, 15 scipioni	scipionis
65, 2 XII	XV
66, 1 eo minus	ea minus
66, 3 docuisse	docui esse
68, 5 restantes	resistentes
72, 7 proficeretur *A*; proficisceretur *P V*	proficeret
79, 6 quicquam	quicquam non
80, 2 copiisque *A P*; copiis *V*	coriisque *MNDUF*; copiis cori...s-que δ
81, 9 inlectum	inlatum
91, 11 non faciebat *A P*; commonefaciebat *V*	non fallebat
94, 8 adversarias	adversarios
94, 9 praetio	praediti
97, 1 ·VIIII·VIII·	VIIII et VIII
105, 1 flām *A*; fla̅ *P*; *om. V*	clam
109, 6 defecta	deiecta
111, 1 ·c·	ac
118, 7 p. r.	p. r. quod
130, 12 ęstatim *A P*; statim *V*	ac statim
137, 13 quoque	quodque
141, 12 mille (co *etc.*)	MD
142, 1 cum	eos

[1]) Scil. inde ab p. 60, 11; cur N D hoc loco rursus inducantur, statim apparebit.

APVUF	**M(N)Dδ**
2, 3 nihilo tamen minus	nihilo minus *Rh*
9, 7 equitatu	equitatus *Rh*
11, 9 fugarentque *A?*; fugerentque *P V*; urgerentque *U F*	refugerentque *M pr. D Rh*; refugarentque *M corr.* δ
18, 2 ad classi *A U*; ad classim *P*; ad classem *V*	ad classis *M D F*; ac classis δ *Rh*
28, 2 mehercule (-lem *P corr.*)	mehercle
35, 6 ducere	deducere
38, 4 plostris	plaustris *(cf. 17, 10)*
43, 7 algam	alga *P corr.*
48, 6 condocerefacere *A P V M pr.*; condocefacere *U F*	conducere *M corr. D* δ
62, 2 ab scipione	a scipione
75, 14 adversum (-sus *V*) armatos (-to *A*)	adversus armatusque (-tosque *M pr.*)
77, 11 vergiliarum *A P U F*	vigiliarum *V M N* (*hic* virg. *a sec.*) *D* δ
82, 7 ducere	deducere
88, 13 usi *P V*; ii *U F*; *om. A*	ipsi
91, 4 ut *A*; quod *U F*; *om. P*	quo *V*
94, 10 ante secum	ante se
103, 9 omnibusque	omnibus *M N D*[2] δ; *om. D*[1]
103, 9 ab iis *A U*; ab is *P*; ab his *V*	aliis *M N F* δ; *om. D*
106, 11 conducit	concludit
113, 13 neque	nec
116, 9 plostris *D pr.?*	plaustris *V M N D corr.* δ
119, 3 *om.* ab scipionis vero	ab (a δ) scipionis vero
122, 3 thapsitanos *N?*	thapsianos *M*; tapsianos *D* δ
124, 7 famam locum nomen	famam nomen *M N D* δ; locōu *M*; locol[m] *N*; locorumque *D*[2] δ
132, 8 muniverat	munierat
133, 11 quasque A; quas quisque *P V M corr. U F*	quascunque *M pr. N D* δ
136, 3 *om.* noctem	noctem *M i. v. sec. m. N D* δ
137, 14 muniverat	munierat

APVMUF	**NDδ**
76, 7 praesenti *N pr.*	praestanti *N a sec. D* δ
105, 5 recipit *A P M U F*	recepit *V N D* δ
135, 12 livineio	hivineio *N*; humelo *D*[1], *ut vid.*; humello *D*[2] δ
140, 8 c. interim (caesar interim *V*)	cum interim

Aberravit D praeter 103, 9, ubi lacunam praebet, duobus locis:

74, 2 adducta *A P V* (abd. *L*); ad scipionem adducta *U F* D^1; ad scipionem deducta *M N* D^2 δ — 75, 5 existimasset *A P U F*; estimassent *V M N* δ; extimasset *D*.

Accedunt mirae nonnullae congruentiae inter D et δ, quae, si nulla inter eos esset relatio, explicari vix possent.

A P V M N U F	D δ
18, 3 serserna *A*; seserna *P V M U F*	saserna
21, 2 milites	*om.*
63, 3 venire	venere (*L*)
65, 3 praealtum	praelatum
76, 10 interficit *A P M N U F*	interfecit *V*
82, 13 latitudine altitudine	altitudine latitudine (alt. *del. D*)
89, 3 instigasti	instigati
90, 2 studiosiores	studiosores
99, 8 distinere *A P corr. M N U F*; destinere *P pr.*; destinare *V*	detinere
100, 2 claudium *A P M N U*; clau *F*; dadium *V*	gaudium
102, 3 a	*om. D pr.* δ
109, 10 levisque	levis
111, 11 praecipere *A N*; praeciperet *P M U F*; praecepit *V*	praecipit
116, 4 posteroque	postero
117, 2 destitit	desistit (*L*)
120, 13 cedebant *A P M N U F*	cedebantur *V* (*praecedit* vulnerabantur)
120, 17 ad *P V*; *om. A M N U F*	in
128, 9 parent *A P*; pararent *V M N U F*	parerent (*L*)
129, 2 sese	se (*L corr.*)
136, 1 aquino	acquinio *D*; aquinio δ
138, 9 dein	deinde (*L*)

Quid sit concludendum, apparet: correctus est X, recentium archetypus, ex alio codice, qui inter N et D locum tenet (Y), atque ita correctus, ut non semel etiam lectiones sensu cassae exscriberentur [1].

Quae cum ita sint, ut permultis locis et per coniecturam et alio codice adhibito recentium lectio ab A discesserit, iam hoc nobis quaerendum est, sitne, cur ex ipso A eos manasse negemus. Ac sane paucissimi sunt loci neque multum valent singuli.

---

[1]) Si quis exemplum poscat, ad codicis D manum secundam referre satis est.

32, 4 ex omni genere *A* (*L*); et omni genere *P V M D U F*; et omnis generis δ (*Fortasse postquam ex* ρ *irrepsit* et, *per coniecturam* generis *scriptum est*) — 46, 8 accitis *A*; agitis *P V M N U F*; actis δ; coactis D^2 — 75, 6 sibi iacturas *A*; subacturis *P*; sibi acturis *V pr.* (-ras *corr.*); sibi actum iri *M N D U F*; sibi actum rei δ (*Altero loco* actis *ortum esse sumas ex ipso* accitis, *altero* rei *ex* iri, *quod ex* ρ *fluxerit.*).

91, 4 ut *A*; quod *U F*; quo *V M N D* δ; *om. P.* (*Hoc loco eandem, quae in* β *fuit, lacunam etiam in X exstitisse non necessarium est, quoniam pro inusitato illo* ut *elegantiae gratia ex* ρ quo *peti potuit.*)

131, 10 cum III ad thapsum cohortibus *A*; cum III legionibus ad th. D^2 δ; cum III ad thapsum *P V M N D*' *U F.* (*Ne hic quidem in X lacuna statuenda est, immo cum tres cohortes ad obsidendum non sufficere censeret librarius pro* cohortibus *scripsit* legionibus.)

Quae vero in solis recentibus verae exstant lectiones, his nihil probatur, quoniam ad unam omnes facillima coniectura potuerunt inveniri. Cf. 6, 5 *equitum* L D^2 δ *Rh* — 41, 3 *numero* L D^2 δ — 90, 5 *ad singulos* ··· *singulis additis servis* δ (ubi vel *ad* prodit coniecturam) — 100, 3 *partem* δ — 101, 6 *quintum* D^2 δ — 111, 8 *quo pede* D^2 δ — 123, 13 *nihilo minus* D^2 δ — 124, 10 *circa* D^2 [1]) — 129, 8 *miseris* δ — 131, 11 *legionibus* D^2 δ (cf. supra) — 133, 4 *contendit* δ — 138, 17 *se confert* D^2 δ — 140, 15 *accepta* L δ — 141, 8 *interim pulso* D^2 δ.

Quamquam igitur accurate res demonstrari non potest, verisimillimum mihi quidem videtur ex ipso A recentes codices manasse. Hoc vero certum est, in textu constituendo nullam fere eorum rationem esse habendam.

Qua de causa etiam in comparatione classium (A et β), quae nunc nobis est instituenda, neglectis recentibus ex illis solis iudicium est petendum, ideoque vel maxime nostra interest scire, quae in utraque classi ex suo ingenio correxerit librarius.

Ac primum quidem in A exstant interpolationes sane apertae, eaeque, ut videtur, duorum generum.

Prioris luculentissimum exemplum invenitur 100, 11. *Ita duces* ··· *occupati essent et* ··· *dimicabant*; hoc legitur in β, nisi quod in M F *erant* ex coniectura. A praebet: *ita ut duces* ··· *occupati essent et* ··· *dimicabant,* D^2 δ: *ita ut duces* ··· *occupati essent et* ··· *dimicarent,* in his igitur vox interpolata alteram effecit mutationem. Legendum est sine dubio cum Nipperdeio: ita duces ··· occupati esse et ··· dimicabant [2]).

---

[1]) Cf. b. civ. I, 14, 4 *contra* P V U F Lov.; *intra* D δ; *circa* Nipperdey.

[2]) Cf. quae supra p. 47 de temporum varietate exposuimus. Woelfflin et hoc loco e Dresdensium lectione elicit *dimicare* et 36, 3 *frequentabat* mutat in *frequentare,* ne infinitivorum ordo per verbum finitum interrumpatur. — Alio loco falso infinitivum historicum adhuc ab editoribus non acceptum esse apparet. 63, 3 enim *venire,* quod iam Fröhlich coniecit, quoniam legitur non solum in A, ut adnotat Woelfflin, sed etiam in P V M U F, necesse est in textum recipiamus.

Similis est locus 112, 5, ubi in β legitur *quodcunque proelium quotiens* ··· *poterat,* A ante *poterat* addit *quod,* quod in archetypo eius inter versus additum fuisse apparet. Editores adhuc sequebantur Dresdensium coniecturam *quia quodcunque* ···, sed nunc multo magis arridet Woelfflini emendatio *quod quotienscunque proelium* ··· *poterat.*

Maior exstat neque tamen gravior interpolatio 131, 10, ubi cum *cohortibus* illud tolerari non possit, Dresdensium lectionem veram esse (nimirum per coniecturam repertam) censendum est (cf. supra p. 61).

128, 2 *cum,* quod legitur in A δ propter lectionem *armatus,* quacum conciliari non possit, interpolatum esse vix credas. (V hoc loco habet: *armatus quid in* ··· *agendum esset sibi cum videret;* haud scio an in exemplari eius (π) inter versus scriptum fuerit *cum*).

67, 1 vox *ut,* quae legitur in A δ et alio loco in M F, cur in A pro interpolata habeatur, non est causa, itemque 134, 9 *ut,* quod habent *A* δ et inter versus M, in illis quidem traditum esse forma verbi sane corrupta demonstrat.

Dubitari denique potest de locis 117, 8 *ad* A D^2 δ; om. β, 118,12 *in* A δ; om. β, 127, 7 *in* A δ; om. β; sed quoniam hic quoque comprobari interpolatio non potest, melius est voculas illas in textum recipere.

138, 17 *se* illud, quod deesse non potest, in exemplari codicis A margini adscriptum fuisse ex collocatione verborum intellegitur; alio loco sed ne hoc quidem recto *se* exstat in V, suo loco in *D^2* δ.

Alterum interpolationum genus versatur in particulis coniunctionis. Loci commemorandi sunt hice:

66, 16 *et necesse* A δ; *necesse* π; *necesseque* ρ; sed ne hoc quidem loco habemus cur *et* traditum esse negemus, quamquam in β particulam defuisse et in ρ per coniecturam additam esse apparet.

69, 1 *pollicitationibusque* A; *pollicitationibus* β δ; cf. 21, 4 *que* (post *equitum*) om. A U pr.; habent ceteri; 31, 12 *turmas* A P; *turma* V; *turmasque* ρ δ; 37, 1 *plumbum* A β; *plumbumque* D^2 δ; 41, 3 *servorum liberorum* O, nisi quod *suorum liberorum* V δ; 43, 5 *equitesque* O; 126, 2 *lapidum* β; *lapidarum plumbique* A; *saxorum plumbique* δ.

60, 7 et 92, 7 *et qui* A δ; *quique* β.

135, 14 *subitoque* A δ; *et subito* β.

53, 6 *que* A Lov.; *aut* β; om. δ.

Praeter haec duo genera paucissimi sunt loci, quibus consulto ab homine linguae latinae perito exemplaris lectionem mutatam esse statuendum sit: 4, 3 *navem* A D^2 δ Rh U; *naves* P V F; om. M; 31, 13 *post collem* A δ; *post colle* π; *post collemque* ρ; 132, 15 *potuerunt* A; *potuerant* β δ (sed cf. p. 25, 3 *coeperunt* A; *coeperant* β; *coeperat* δ).

(Ceterum omnes hae interpolationes commissae sunt non in ipso A, sed in archetypo eius (cf. 112, 5; 138, 17); illius enim librarius omnino non novit linguam latinam).

Res cum ita sit, etsi inesse in A interpolationes negari non potest, tamen, ne plus iis tribuatur, cavendum est. Ut hoc afferam, 104, 2 in A δ legitur *ob periuri perfidiam*; in β videtur fuisse *ob periurium perfidiam*; 119, 7 A δ habent *ab oppidi lateribus*, β *oppido*. Utroque loco mendum, quod exstat in β, ex praepositionibus *ob* et *ab* facillime nasci potuit[1]), neque eo, quod priore *periurii* in L coniectura inventum est, cogimur, ut etiam in A hoc factum esse statuamus. Omnino nisi certis rationibus coniecturam esse lectionem A comprobatur, pro tradita habenda est, velut 36, 10 *congererent* A δ; *congeri* β.

Codex β coniecturis videtur fere caruisse excepto uno loco 74, 6 (*deducendos* A D² δ; *deducendosque* β) et fortasse altero 121, 4 (*fortissimi quique* A δ; *fortissimus quisque* β)[2]).

In singulis lectionibus utrum A an β sit praeferendus, ex ipso loco discernendum est, in minutiis, ne plus codici A tribuamus, cavendum. Velut ad 90, 4 *tradidit* cf. 7, 6 *dediderat* A δ Rh P V; 111, 10 *communicarenturque* A δ; 5, 6 *praeceperat* A et similia. Commendatur lectio *tradit* ipsa varietate temporum, quam valde huic auctori adamatam fuisse vel in Woelfflini editione cognosci potest.

Similiter id, quod in textum recepit Woelfflin, 36, 7 *sagittasque telaque* A δ et 132, 14 *lapidibusque fustibusque* A (itemque p. 70, 10 *dextrumque sinistrumque* P V) refellitur lectionibus similibus, quae exstant in L et D (non exstant in M N et P): 47, 5 *litterasque nuntiumque* D; 143, 6 *tributisque vectigalibusque* L; 32, 8 *legionariique paucique* D. Cf. etiam 137, 3 *libentesque cupidique* M[3]).

Accuratius inquirendum est in duos locos.

48, 1 legitur in codicibus: *iis se* (nam errores, qui commissi sunt in his vocibus, nihil ad rem) *in miseriis suamque fidem implorantibus* · · · *esse non posse*; pro *miseriis* exhibet A *miseris*, pro *esse* A δ P V *sese*, M *se esse* (ita ut *sese* videatur fuisse in archetypo), Woelfflin propter *miseris* voce *in* deleta scribit: *his se miseris* · · · *esse non posse*.

Conferamus oportet hos locos: 61, 6 *ad te voluimus in tuaque praesidia confugere* (sic A δ β; *in tua* L D¹; *intra tua* Woelfflin) — 114, 9 *ab se suoque vestigio non discessuras* (sic O, nisi quod *ses* P pr., *sese V*, *suosque* P pr. M pr. U, *suasque V*); *ab se [suoque] vestigio* Woelfflin; *ab se suisque vestigium* Landgraf[4]). — 45, 7 *satius esse sibi suoque regno subsidio ire* (sic A β, nisi quod *suosque* U pr.); *sibi, suo regno* Woelfflin. — 45, 10 *sibi suisque*

---

[1]) Cf. velut 7, 9 *ab hostibus praesidio* Rh.

[2]) Collocatione verborum suspicio movetur 107, 3 *cum parte profectus exercitus A*; *c. p. e. prof.* P V M U δ; *prof. c. p. e.* F. Cf. etiam infra p. 64.

[3]) Ex simili errore in archetypo commisso variae ortae esse videntur librariorum coniecturae 143, 7.

[4]) Scilicet uterque propter Polionis illud: *nullum vestigium abs te discessurus sum*. Cf. Moelken p. 12 sq.

rebus timens. Quos locos si quis comparaverit, varias virorum doctorum coniecturas vereor ut probet. Immo etiam 48, 1 facillimum putabit esse remedium, ut recipiatur *se esse,* quod ex vetere corruptela *sese* et facile elici potest et a librariis M[1]) et L videtur esse elicitum. Scilicet coniungendum est: *se suamque fidem implorantibus;* neque interposita *in miseriis* magis offendunt quam 61, 6 *voluimus.*

Non minus audacter 53, 8 Woelfflin traditam lectionem mutavit, non tam codicis A auctoritatem quam suum de Polionis genere scribendi iudicium secutus Legitur in codicibus: *Caesar iubet milites, qui extra munitiones processerant (munitionem* A; *successerant* A pr.) · · · *intra munitiones minutatim modesteque* · · · *se recipere.* In uno A post *munitionem* (lin. 6) exstat *minutatim modeste.* Woelfflin hoc lin. 8 in textum recipit, ,quod fuit varia lectio olim margini adscripta', id quod eo periculosius videtur esse, quia in adverbiis ne unum quidem legitur exemplum asyndeti bimembris (nam 109, 11 Woelfflin solius Leidensis auctoritate nititur, quem nihili esse demonstravimus). Sed *minutatim modeste* omnino non est varia lectio; immo id, quod saepius hic librarius commisit, etiam hoc loco factum est, aberravit a priore voce *munitiones* (vel *-nem)* ad alteram[2]), sed antequam *que* scripsit, cum se errasse vidisset, rediit ad priorem.

Duobus tamen locis vera lectio, quam spreverit Woelfflin, per A videtur servata esse. 66, 16 *et necesse* (cf. supra p. 62) et 126, 2 *plumbique*; qua de causa enim hoc interpolatum esse possit, non intellegitur. In dubio, quid sit verum, relinquendum est 59, 5 (*cermatibus* A etc.), quoniam a Cercina et Cercinas et Cercinitanus duci potest.

De collocatione verborum, quam praebet A, difficile est dictu, quid sit iudicandum. Sane non semel A ita verba habet collocata, ut huic scriptori aptius videtur: 23, 2 *procul conspici hostis;* 38, 2 *circuire cotidie*; 52, 12 *Caesaris patientia* (quamquam id hoc loco minus placet, cum sequatur *exercitusque eius*); 107, 3 *cum parte profectus exercitus;* 112, 12 *militum animos.*

Multo pluribus tamen locis ordo verborum, qui est in A, adeo aut inusitatus est, aut loco non aptus, ut ferri non possit: 1, 4 *ian. k.*; 4, 1 *vendit publice;* 10, 5 *est Caesar;* 17, 11 *invento frumenti*; 22, 9 *quorum parvus ex castris numerus* (sed hoc videtur fuisse in archetypo); 31, 1 *se in castra;* 31, 5 *defatigata vulneribus;* 31, 7 *esset iam reliqua;* 112, 8 *hostium legiones* (opponuntur equitibus); 126, 4 *semi vallifactas;* 135, 16 *sua natura.*

---

[1]) Vel potius ρ, nam *esse,* quod habent U F, eo ortum esse crediderim, quod *se* illud ante *in* positum huc rettulerit librarius.

[2]) Cf. supra p. 54.

Interdum etiam in A verba magis secundum usum vulgarem collocata sunt quam in β: 21, 6 *cognitum est* (quod non videtur confirmari per 32, 6, ubi propter locutionem relativam vix toleretur *est cognitum*); 38, 4 *numerus maximus;* 47, 4 *erat in tanta*; 114, 13 *eos abhorrere*; 132, 11 *partibus Caesaris.*

His igitur locis repudianda est lectio A; illis, si quidem constat de auctoritate codicis, recte Woelfflin videtur eum secutus esse.

Quid de lacunis codicis A sit iudicandum, infra una cum ceteris codicibus exponetur.

Sed hactenus haec. Iam procedimus ad alteram quaestionis partem, qua de iis locis, quibus inter se dissentiunt P V M U F, erit agendum.

Ac primum quidem quoniam cognoscamus oportet, quantum cuique codici ad familiae vel totius β lectionem constituendam auctoritatis sit tribuendum, de singulis codicibus, quas quisque librarius ex suo ingenio correxerit lectiones, inquiramus.

Atque ut priorem tractemus familiam Parisinam, etsi in P negari non potest paucas inesse librarii interpolationes, in plerisque tamen hic accurate verbum e verbo expressit. Commemorentur hi loci:

32, 9 circumdati *P*; circumventi *R*[1]).

37, 2 importato *P*; importaticio *R*.

37, 3 priore enim anno *P*; p. a. e. *R*.

46, 10 mittit *P;* missis *R*. *Sed hoc non ab ipso librario P inventum est. Legitur enim versu praecedenti in uno P post* in Siciliam *adiectum* missis, *quod margini codicis π adscriptum fuisse apparet; in contextu igitur* mittit *fuisse concludendum est. V, cuius librarius recte intellexerit consilium correctoris, consentit cum ceteris.*

50, 3 eisdem *P*; eidem *R*.

63, 9 montis *P;* montes *R*. *Etiamsi respiciamus* 104, 2 ob periurii perfidiam et 119, 7 ab oppidi lateribus, montis *tamen, ut genuinum sit, fieri vix potest.*

76, 4 in tua potestate tenes *P;* in tua tenes potestate *R*.

97, 5 paucas autem ad tertiam *P;* paucas tertiam autem *R*.

100, 10 ne iugo *P*; ni iugo *A et V U F* (= β); in iugo *M;* ui iugo δ.

118, 13 quo *P;* eo *A;* cum *V;* ꝏ ρ; C C D^2 δ.

144, 17 duodetricentesimo *P;* duodetricensimo *A M F;* duodetricesimo *V U* δ.

Sed quamquam interdum Parisino iure diffidas, tamen ut ille paucas, ita plurimas continet librarii interpolationes codex Vindo-

[1]) R abhinc semper intellegendum est de solis A (D^2) δ P V M U F.

bonensis. Quod etsi ex paucis, quae ei notae erant, lectionibus olim Forchhammer suspicatus est, tamen hoc loco fusius exponendum esse censuimus. Adhuc enim codici plus auctoritatis tribui ante omnia demonstrant Em. Hoffmanni emendationes a Duebnero enotatae[1]). Sed etiam Duebner[2]) et Woelfflin[3]) raro quidem eius solius auctoritatem secuti sunt et nuper A. Polascheck[4]) eo usus est ad interpolationes detegendas. Tamen tot sunt et tales interpolationes, ut fere cum recentibus codex V comparari possit neque ulla omnino in eo solo sit auctoritas.

Primum enim, id quod levissimum est, non semel librarius, ubi exemplar non intellexit, ex suo ingenio aliquid aut addidit aut mutavit.

68, 3 recte *V*; recta *R*.

82, 2 paulo post longius *V;* paulo longius *R*.

88, 13 illis usi *V;* usi *P* (= π); ipsi *M* δ; ii U F; *om. A*.

91, 4 quo *V M* δ; ut *A*; quod *U F; om. P*.

91, 11 commonefaciebat *V;* caesarem non faciebat *A P*; caesarem non fallebat ρ δ.

92, 10 dicens nihil *V*; nihil *R*.

102, 2 ad portum *V;* a portum *P U;* a portu *R*.

111, 11 praecepit *V;* praeciperet *P* ρ; praecipere *A*; praecipit δ.

112, 6 sine legionariis militibus *V;* sine legionarios milites *P*; sine legionario milite *R*.

125, 1 dubitans caesar ··· resistens ··· clamitat *V*; dubitante (-nti *P*) caesare ··· resistente ··· clamitat (-tante *M F*, -tat ante *U etc.*) *R*.

128, 1 armatus quid in ··· agendum esset sibi cum videret *V*; armatus qui in ··· cum ··· agendum sibi videret *A* δ, *item P* ρ, *sed omisso* cum.

128, 9 pararent *V* ρ; parent *A P;* parerent δ.

130, 6 primi *V;* ·I· *P;* hii *M;* ii *U;* ·II· *F; om. A* δ (cf. 122, 11).

130, 12 statim *V;* ęstatim *A P;* ac statim ρ.

134, 10 auxiliaretur *V* δ; auxiliaret *A P;* auxilii raret ρ, *ut vid.*

135, 14 eius *V; om. R*.

143, 2 cum illis quas *V (scil.* quas *per mendum); cum* quos *R*.

Similiter aliis locis, quae non intellexerit, omisit librarius, aliis inusitatum vocabulum vulgari mutavit.

---

[1]) *Velut* 67, 14 instructa *V et Hoffm.;* 76, 9 innuit *V et Hoffm.;* 88, 13 illis usi *V*, illis abusi *Hoffm.;* 122, 11 tercio *V*, tertia parte *Hoffm.*

[2]) 86, 5 abcesserunt *V et Dueb.*

[3]) 51, 7 statione *V et Woellfl., sed cf.* 77, 5 in stationibus.

[4]) Zschr. f. d. öst. Gymn. 1890 p. 411: *viribus* om. V. ‚Ob nicht contortum als t. t. der Militärsprache genügt? Es wäre dann auch 70, 4 zu ändern.' (!)

85, 6 nonnulli *V;* nonnulli··· complures *R.*
85, 9 levis *V*; levisque *R.*
87, 12 ne··· insidiandi gratia *V;* ne··· ut (aut *A*) ins. gr. *R.*
121, 12 magno *V;* grandi *R.*
132, 18 potuisset *V;* quiret *R.*
144, 17 diei quod *V;* diei de eo quod *P*ρ; die ideo quod *A D*² δ.

Aliud interpolationum genus pertinet ad tempora verborum.

8, 3 petiit *V;* petit *R* (*sequitur* daret).
73, 2 obsederat *V;* obsidebat *R.*
76, 10 interficit *V*δ; interfecit *R* (*sequitur* iubet).
131, 15 cum··· facerent pervenerunt *V*, perveniunt *R.* *Item* 132, 5 et 133, 5 pervenerunt *V;* perveniunt *R.*
134, 5 interimit *V*δ; interemit *R* (*fort. praecedens* divellit *librarius pro praesenti habuit).*

Frequentissime mutantur etiam particulae compositionis.

25, 6 concurrunt *V*δ; procurrunt *R.*
30, 9 procurrunt *V;* occurrunt *P*ρ; concurrunt *A* δ.
42, 15 obtinere *V;* continere *R.*
43, 7 electa *V;* collecta (*vel* -ctam) *R.*
53, 9 desistere *V;* consistere *R.*
67, 14 instructa *V;* extructa *R.*
71, 7 expugnare *V M pr.*; oppugnare *R.*
86, 5 abcesserunt *V*; accesserunt *P*ρ; cesserunt *A* δ.
101, 10 conspectu *V*; prospectu *A P*ρ; *om.* δ.
120, 16 consecuti *V*; insecuti *R.*
124, 5 incitabat *V*; excitabat *R.*

Collocatio verborum etsi non saepe, uno tamen loco ita mutatur, ut plane turbetur sententia.

41, 6 fuit praesidium regium *V*δ; p. f. r. *R.*
48, 11 aciem suam *V*; s. a. *R.*
54, 12 magnaque auctoritas *V* (!); auctoritasque magna *R.*
128, 15 se colligendi non dare *V*; se non dare colligendi *R.*
136, 9 de sceleribus eorum *V*; de e. sc. *R.*

Variae denique mutationes commemorandae sunt hae:

8, 7 atque litteras *V*; litterasque *R.*
14, 2 devastarentur *V*; vastarentur *R.*
20, 6 albescente *V*δ; albente *R.*
26, 5 cursu facili *V*; cursu facile *R.*
31, 10 eis essent potiti *V*; eorum e. p. *R.*

32, 10 auxiliariis *V*; adversariis *R*.
54, 2 unusquisque *V*; quisque *R*.
58, 12 paucos post dies *V*; paucis post diebus *R*.
64, 10 illius *V*; eius *R*.
75, 3 donari *V*; donare *R*.
82, 12 quia *V*; quo *R*.
87, 11 conspicatae *VM*; conspicati *R*.
94, 6 caesar productis copiis celeriterque iis instructis *V*; c. producit copias *etc.* *R*.
99, 9 iniussi *V*; iniussu *R*.
100, 10 autem *V*; item *R*.
101, 8 aquilonis tempestate *V*; aquila temp. *R*.
105, 13 commoraturus *V*; commoratus *R*.
105, 15 de porta cumana *V*; porta decumana *R*.
110, 16 conversi se quisque *V*; conversis equis *R*. *(In* π *videtur fuisse falsa verborum distinctio, quam recte correxerit librarius P.)*
117, 3 pervenit *V*; venit *R*.
118, 4 consuevissent *V*; consuessent *R*.
120, 6, consueverat *VF*; consuerat *R*.
128, 13 copias prostratas ··· fugientes caesaris legiones consequi *V*; copiis prostratis ··· fugientibus c. l. c. *R*.
131, 8 donavit praemiis VD^2 δ; donavit praemia *R*.
137, 5 impositum est *V*; imposito (-tis D^2 δ) *R*.
140, 8 caesar *V*; c. *APρ*; cum δ.

Sed iam satis apparet et librarium fuisse minime indoctum, qui permulta ex suo ingenio correxerit, et codice nos uti non posse ad genuinam lectionem requirendam nisi eis locis, qui sane sunt pauci, quibus P aberravit, *V* codicis π lectionem servavit[1]).

Aliter familia Romana. In qua et M et archetypus U F aequo fere modo ab librariis sunt correcti, ita ut eadem auctoritas in lectione familiae restituenda eis tribuenda sit.

24, 5 equitatuum *M*; equitatum *PUF*; equitum *R*.
30, 1 equitesque *M*; equites *UF*; equitibus *R*.
31, 8 imperat *M*; cohortatur (*vel* -tus) *R*; *cf. app. crit.*
35, 6 deducere *M*δ; ducere *R* (*item 82, 7*).
43, 7 alga *M*δ *P corr.*; algam *R*.
58, 1 eius *M*; ei *R*.
84, 6 sinistrumque *M*δ; sinistramque *R*.
86, 10 occiderunt *M*; interfecerunt *R*.
87, 11 conspicatae *VM*; conspicati *R*.

---

[1]) Cf. infra de lectionibus A et V communibus.

91, 4 quo *VM*δ; ut *A*; quod *UF*; *om. P.*

92, 1 patres *M*δ *A corr.;* partes *R.*

94, 10 ante se *M*δ; ante secum *R.*

99, 7 frenati··· equites *M*; frenatus··· eques *R.*

101, 11 egressa *M*; egressi *P U F*; egressis *R.*

134, 10 auxilii rant *M pr. suprasc.* pa; auxilii raret *U F*; auxiliaret *A P*; auxiliaretur *V*δ. -- cohortatur *M*δ; cohortatus *R.*

136, 3 noctem *M i. v.* δ; *om. R.*[1])

15, 7 postumum *U F*; postumium *R.*

18, 1 ne *U F Rh.*; ut··· ne *R.*

19, 3 tristicia *U F*; tristi *M* (= ρ); tristimonia *R.*

37, 1 et ad nimum etiam animum advertebat *UF*; et animum adv. *M*; etiam (et eam δ) animum adv. (*vel* animadv.) *R.*

48, 3 enim *U F*; interim *R.*

74, 2 ad scipionem adducta *U F*; ad scip. deducta *M D*² δ (= ρ; *sed fort.* deducta *modo ut varia lectio in* ρ *adscriptum erat.); adducta *A* π.

76, 11 inquit istos *U F*δ; istos inquit *R.*

99, 12 multisque *U F*; multis *R.*

133, 7 hortatur *U F*δ; hortatus *R.*

Tribus locis altera in M, altera in U F exstat coniectura.

11, 9 refugarentque *M corr.* δ; urgerentque *U F*; refugerentque *M pr. Rh*; fugerentque *P V*; fugarentque *A?*

48, 6 condocefacere *U F;* conducere *M corr.* δ; condocerefacere *A* π *M pr.*

88, 13 ipsi *M*δ; ii *U F:* usi *P;* illis usi *V*; *om. A.*

De singulis U et F codicibus pauca dicenda sunt. Ex U afferri possunt duo loci:

12, 7 et polliceri π *U;* polliceri *R.*

17, 8 exercitus *U D*² δ; exercitui *R.*

Plures sane in F exstant lectiones, quas e librarii ingenio natas esse censeas, neque tamen, quas graves dicere possis.

10, 3 nuntiabantur *M F*; nuntiabatur *R.*

21, 3 equitatuumque *M F*; equitatumque (-tatum *A U pr.*) *A* δ π *U.*

88, 5 parvulam causam *F*; parvulam (-la *P*) causulam (casulam *A* δ; causalam *V*) *R.*

100, 12 erant *M F;* essent *R.*

120, 6 consueverat *V F*; consuerat *R.*

124, 7 victoria parta *F;* victoriam partam *R.*

---

[1]) Cf. etiam infra, ubi de F agitur, 10, 3; 21, 3; 100, 12.

Sed iam, quantum quisque codex valeat ad lectionem familia restituendam, satis apparet. Ipsarum familiarum interpolationes infr p. 72 et 73 exponentur, nunc utra earum, si dissentiunt, sit prae ferenda, nobis quaerendum est. De qua re mirum in modum adhu vacillant virorum doctorum sententiae. Familiam Romanam enin quam Woelfflin adeo despexit, ut in praefatione vix commemorare in apparatu critico saepe lectiones eius omitteret, nuper G. Ca Monacensis in bello Hispaniensi quidem Parisinae anteponenda esse statuit. Tamen unicam, quae nunc patet, viam ne hic quide ingressus est.

Si enim recte diversos traditionis rivulos esse A (rec.) et demonstravimus, apparet, ubicunque consentiunt A (rec.) et dimid pars β, maiorem hanc lectionem habere probabilitatem. Quod san si A ρ respicimus, ex ipso commentario optime comprobari potest.

Examinemus locos!

A (rec.)[1] M U F	P V
12, 6 numidae	numidiae
17, 9 frumentatum	frumentatumque
17, 11 ruspinam	rupinam
21, 10 qui	*om.*
22, 9 arcessi	arcessiri; accersiri δ
26, 5 pilum	palam
30, 9 recta	recto *D*² δ
31, 5 nausia; nausea *D*² δ	nausias
33, 3 audierat romae	audierat ac romae
50, 6 discessissetq. *A marg.;* discessisset ρ δ	discessit sed
50, 12 has	*om.*
55, 5 quae	*om.*
55, 9 praebebat	praemebat
58, 9 accessisset	arcessisset
60, 5 egressos	egressis *P*; egressus *V*
61, 7 quo	quod
62, 14 sub manum	summanum
72, 3 VIII; *cf. 58, 7*	VIIII *P*; IIII *V*
80, 7 V	II
81, 9 cuivis	cuius δ
85, 9 sub hoste	sub hostes

[1]) Recentes abhinc, si consentiunt cum A, non afferentur.

A (rec.) M U F	P V
95, 3 verebatur *A* δ; verebaturque ρ *D*²	verberatur *P;* verberatur *V*
104, 7 ignovit	ignoravit
112, 6 sine legionario milite	sine legionarios milites *P;* sine legionariis militibus *V*
114, 6 quo	quod
115, 5 transfuga	transfugas *D*² δ
120, 12 minutatimque	minuatimque
122, 11 munito	muniti
123, 16 cornua quinis	cornua a quinis
125, 1 dubitante caesare	dubitanti caesare *P*; dubitans caesar *V*
135, 10 considerata Q	considerat A Q (A Q *V*)
136, 10 se eis *V corr.*	si eis *P V pr.*
144, 6 milibus	militibus.

Omnibus his locis veram lectionem per A ρ traditam esse nemo est, qui neget. Accedunt alii, quorum duobus ipse Woelfflin, nisi de codicum lectionibus in errore versatus esset, haud scio an A ρ sequi constituturus fuerit; 12, 8 *paratosque* A δ Rh ρ; (solum A commemorat W.); *paratos* π; 34, 5 VIII A δ ρ; VII π (de ρ tacet W.).

De aliis quattuor, qui huc referendi sunt, locis unum tractavimus supra p. 63 (70, 10 *dextrumque sinistrumque*) de tribus, quibus lacuna exstat in P V, cf. infra, ubi de lacunis disceptabitur.

108, 7 etsi, quid scribendum sit, nescimus, nitendum certe est in lectione *A* δ ρ *biotio* sive *biocio,* a qua non multum abest, quod habet π, *inocio.*

80, 3 *aquaque* A δ ρ et *aquamque* π utrumque corruptum est neque, quid praestet, discerni potest, item 100, 15 *VII et VIII* A δ ρ; *VII et VIIII* π.

Rari sunt loci, quibus falsam lectionem per A ρ, veram per π traditam esse concedendum sit.

86, 11 *ni* A D² ρ; *vi* δ; *nisi* π. Res sane levissima, sive genuinum *nisi* in utrisque A D² et ρ in *ni* depravatum, sive *ni* in π in *nisi* correctum.

Etiam minus valent duo loci, quibus in terminatione *m* res versatur:

25, 1 *equitatum* A ρ; *equitatus* P corr. V D² δ; *equites* P pr. (praecedit *adversariorum*).

70, 11 *in conspectum* A δ M pr. U F; *in conspectu* π M corr.

Restant tres lectiones:

80, 3 *pendere* A ρ; *pondere* π D² δ; cf. 144, 15, ubi D¹ pro *pendere* exhibet *pondere.*

120, 17 *usque* A ρ; *usque ad* π; *usque in* δ.

143, 7 *ibique sallustio* A; *ibi Q. sall.* ρ; *ibi crispo sall.* D² δ; *ibi sall.* π [1]).

Sed quamquam his locis vera lectio in sola familia Parisina tradita est, tamen, ne ob hanc causam auctoritatem eius pluris aestimemus, cavendum est. Fieri enim potest (et 120, 17 et 143, 7 vel per se verisimile est), ut paucae illae lectiones, quas contra codicum A M U F consensum in textum recipiendas esse statuimus, non traditioni sed coniecturae debeantur. Mutasse enim librarium π raro quidem neque magna cum diligentia exemplaris lectiones aliis locis satis comprobatur: 12, 7 *et polliceri* π U; *polliceri* R. — 35, 1 *plurimisque* π; *plurissimisque* U, ut vid. [2]); *purissimisque* R — 72, 7 *proficisceretur* π; *proficeretur* A; *proficeret* R — Praeterea 46, 10 in π fuisse *mittit* supra p. 65 exposuimus.

Difficilis est locus 102, 8 *moratur* A δ M; *oratur* U F pr.; *hortatur* π F corr. a pr. m. Verisimile tamen, quoniam A et M consentiunt, videtur esse in archetypo fuisse aut *moratur,* aut *horatur* (vel *oratur*) ex coniectura *moratur* suprascripto.

Sic praeceptum illud criticum a nobis constitutum, quaecunque lectio tradita sit per A (rec.) M U F, eam genuinam esse habendam satis videtur esse confirmatum.

Sed iam accedimus ad rem multo difficiliorem, quanta, si ρ pugnat contra A (rec.) π, illi auctoritas sit tribuenda. Quae res ut diiudicari possit, primum eos locos enumerabimus, quibus, ut postulat praeceptum illud, vera lectio tradita est per A (rec.) π.

A (rec.) P V	M U F
3, 2 equitum; equites δ *Rh*	equitatus
20, 2 hic	huic
19, 3 tristimonia	tristi *M;* tristicia *U F*
30, 1 equitibus	equites *U F;* equitesque *M*
31, 12 turmas *A P;* turma *V*	turmasque δ
31, 13 post collem *A* δ; post colle *P V*	post collemque

---

[1]) Praeterea 86, 6 haud scio an recte Wölfflin ex *detulit,* quod habet P, concluserit [illegible] priore versu scribendum esse *deductis* pro *reductis* atque, ut hoc efficeretur, margin[illegible] π *de* adscriptum fuisse.

[2]) Cf. app. crit.

[3]) Luculentissimum exstat exemplum in b. Al. 62, 1: *paucis diebusque Cass*[illegible] A Lov. U; *paucis diebus Q. Cassi* F; *paucisque diebus Cassi* P V.

Hoc loco quoniam collem (*mendum facillimum*) *legitur in A* δ *et, si* ρ *respicis, fuisse videtur in* β, colle *in* π *haud scio an ex coniectura ortum esse putes.*

A (rec.) P V	**M U F**
35, 7 commeare	commeatus (*ut subiectum inducatur*)
58, 11 periculum suorum facere	periculo suorum rem facere *U F*; periculo suo rem f. *M*

In ρ *videtur fuisse* periculo suorum, *deinde ex coniectura supra* -rum *insertum esse* rem, *ita ut* suo$\overset{\text{rem}}{\text{rum}}$ *exstaret.*

62, 15 scipioni	scipionis δ
65, 2 XII	XV δ
66, 4 caesar	*om.*
67, 2 occurrerent	accurrerent
68, 5 restantes	resistentes δ
69, 7 deduxit	eduxit
75, 9 imperatorem te	te imperatorem
83, 4 ostenderet	ostenderat et[1])
89, 10 tite saliene (tites al. *P*); tite alliene δ; t. aliene D^2	titei saliene *M pr.*; tutei sal. *M* corr.; tite isaliene *U F*
89, 11 clusinas	clusianas; clusiane D^2 δ
97, 1 · VIIII · VIII ·	VIIII et VIII δ
97, 7 collocaverat	collocarat
101, 8 aquila (-lonis *V*)	at aquila
114, 9 discessuras *M corr.*	discesseras *M pr. U F*
141, 12 mille (co *etc.*)	M D δ
142, 1 cum	eos δ

His igitur locis ρ non tantam habet auctoritatem, ut contra A π ex eo aliquid elici possit, simulque apparet non paucas etiam in ρ inesse librarii coniecturas. Confirmatur hoc aliis locis, quibus etsi mendum sane exstat in A π, tamen ex iis solis emendatio est repetenda, quia eam, quam praebet ρ, lectionem ex eodem mendo corrigendo ortam esse facile intellegitur.

22, 1 *ne nihil* A; *ne* δ; *nihil* π; *uti nihil* ρ.

31, 11 *iam hostes iam* ⋯ *mittendi* A; *iam hostes* ⋯ *mittendi* π; *cum hostes iam* ⋯ *mitterent* M; *cum iam hostes* ⋯ *mitterent* U F δ. Sed hoc loco fortasse ex A et M collatis elici potest in archetypo pro *cum hostes iam* fuisse *iam hostes iam* (cf. 106, 5 *tam* A; *cum* π; *iam* ρ) atque inde varias in β ortas esse mutationes. Tunc igitur cum M scribendum est *cum hostes iam* ⋯ *mitterent.*

---

[1]) Voces *Caesari subito se ostenderet* recte deletas esse et lectionem ρ coniecturae deberi apparet.

65, 7 *post* A δ π; *postquam* ρ. Quamquam desperatus est locus, tamen hoc comprobari potest *postquam* ex coniectura ortum esse, nam et hoc ipso loco (66, 1) librarius ρ proximum enuntiatum cum antecedenti coniuncturus scripsit *et postquam,* et idem 31, 14 *(post collemque* ρ) adverbialem, quae dicitur, vocis *post* notionem non agnovit.

74, 2 *adducta* A π; *ad scipionem deducta* M D^2 δ; *ad scipionem adducta* U F. Vera emendatio *abducta* inventa est a librario L.

79, 6 *quicquam A* π, *quicquam non* ρ δ. Sed hoc loco fortasse ipsam A π lectionem tolerari posse haud male demonstravit Funck [1]) imprimis uno exemplo petito ex Liv. 24, 40, 12: *inde tantus terror pavorque omnes occupavit, ut non modo alius quisquam arma caperet aut castris pellere hostem conaretur, sed etiam ipse rex ··· ad flumen navisque perfugerit. Nihil quicquam* scribet Woelfflin.

80, 2 *copiisque* A π; *coriisque* ρ; *copiis coriisque* δ; *scopisque* recte cod. Scal.

81, 9 *inlectum* A π; *inlatum* ρ δ; *intellectum* bene invenit L, vera lectio est *intellectu.*

89, 8 *peto* A π; *potest* ρ; *potes* D^2 δ. (Cf. 90, 3 *pote A*; *peto* π; *potest* ρ; *potestis* D^2 δ.)

111, 1 ·c· A π; *ac* ρ δ; del. Forchhammer.

142, 11 *id tempus* A δ π; *ad id tempus* (*tepus M*) ρ. Certa videtur Woelfflini emendatio *id temporis.*

70, 8 denique librarius ρ, cum extrema huius capitis verba ad Scipionem referenda esse recte intellexisset, inepte quidem post venire inseruit *qui,* quod receptum est et in U F et in M, sed in hoc ab ipso librario deletum.

Atque ut etiam plura interpolationum apertarum exempla ex ρ afferamus, primum duo nominemus, quae vel hic referre aliquo modo licet.

22, 9 *quorum parvus ex castris numerus* A V; *quorum parvus num ex c.* P; *quorum p. ex c. exierat num.* ρ; *quorum p. num. ex c. exierat* δ Hoc enim loco quoniam lectionem P coniectura ortam esse apparet, V locum familiae tenet atque una cum *A* archetypi lectionem servasse putandus est.

Eadem fere res est 49, 3 *audes* A D^2 Lov. V; *rudes* P; *audere* ρ δ.

11, 9 denique, etsi non constat de A (excidisse enim videtur ex Woelfflini apparatu adnotatio), tamen vel ex ceterorum lectionibus intellegitur *fugerent* (π) fuisse in β; *refugerentque* habet M pr., *refugarentque* corr., *urgerentque* U F.

Iam vero in eos locos inquiramus oportet, in quos praeceptum illud non videtur quadrare, scilicet quibus vera lectio per ρ (δ), falsa per A (δ) π tradita est; qui sane non sunt pauci.

---

[1]) Phi'ol XLIX p. 669 sqq.

A (rec.) P V	M U F
7, 6 dediderat	dederat
10, 5 est	esset
11, 3 egressus et iter	egressus iter
29, 8 corona	coronam
30, 8 C C C	M C (*vera lectio* M D C)
30, 9 at cohortes	atque hostes
31, 7 tardiorem	tardiora
36, 6 quorum	cuius
38, 6 vacabant *A Lov.;* vacabantur π	vagabantur δ
38, 7 singulae *F pr.*	singulas δ
48, 1 abripuisse; obripuisse *M pr.;* arripi δ	obripi his (iis *U*) se *M corr. UF* (abripi hiis se *L*)
55, 12 existimabant	existimabat δ
56, 13 *om.* usi	usi δ
57, 8 si	sibi δ
60, 4 annoneumque *A P*; ac non eumque *V*; animo δ	annonaeque
60, 8 mirati (ᵐirati *A*)	mirari δ
61, 1 propere fugisse	pro perfugis δ
62, 6 caesare	a caesare δ
66, 3 docuisse	docui esse δ
69, 9 instructam (-ta δ) aciem	instructa acie
72, 7 proficeretur *A*; proficisceretur π	proficeret δ
73, 6 ticideq. (*vel* -eq.)	ticida eq. (*vel* eques)
75, 6 sibi iacturas *A*; sibi acturis *V*; subacturis *P*	sibi actum iri; sibi actum rei δ
83, 12 summam	summa
90, 3 missoque δ *pr.*	missosque δ *corr.*
91, 8 eosque *A P*; easque δ; *om. V*	eoque
91, 11 non faciebat *A P*; commonefaciebat *V*	non fallebat δ; *cf. supra p. 44 adnot.*
94, 8 adversarias	adversarios δ
94, 9 praetio (*vel* -et-, -ec-)	praediti δ
95, 4 corruptione	quod eruptione *M*; erupt. *UF*; errupt. δ
106, 5 tam *A*; cum π; *om.* δ	iam; *cf. 105, 1* flām *A*; fla *P*; *om. V*; clam ρ δ
109, 2 acerbum	acervum δ
109, 6 defecta	deiecta δ
110, 11 coronamque	coronaeque

A (rec.) P V	M U F
110, 15 infertos *A* δ; infectos *P* (= π)	infestos *V*
114, 7 dabant	dabat δ
123, 3 milites · · · deductos (ductos *om. V*)	milite · · · deducto
125, 3 clamitat	clamitante *M F;* clamitat ante *U*[1]; cilamitante δ (-tem *a pr.*)
125, 3 sustentantem *A* δ *pr. P* (= π)	sustentante *V* δ *corr.*
128, 9 parent *A P* (= π)	pararent ρ *V*; parerent δ
130, 12 ęstatim *A P*; statim *V*	ac statim δ
134, 9 auxiliaret *A P*; auxiliaretur *V* δ	auxilii raret *U F*; auxilii rant *M pr.* (parant *corr.*)

Vera lectio nunc sane dubitari non potest quin sit auxilii pararet. *Cf. supra p. 62.*

136, 2 damasippi qui; damasippi quae δ	damasippique
137, 13 quoque	quodque δ

Quos locos si quis oculis perlustraverit, in multis quidem lectionem ρ non pro tradita sed pro bene inventa habendam esse facile intelleget. De omnibus tamen hoc statuere vereor ut velit.

Primum enim nonnullis locis plus lectio ρ distat ab A π, quam ut a librario inventam esse credibile sit: 30, 9 *at cohortes;* 60, 4 *annonaeque;* 61, 1 *pro perfugis*; 75, 6 *sibi actum iri;* 94, 9 *praediti.* Tales sane emendationes etiam nunc viri docti gauderent a se inventas esse. Semel vel vox in ceteris omissa recte servatur per ρ, 56, 13 *usi,* quam librario aegre tribuas, quamquam ille 22, 9 addidit *exierat*[2]).

Aliis porro locis ut facillime oriri potuit mendum, ita difficillimum fuit correctu: 31, 7 *tardiora*; 36, 6 *cuius.* An idem homo 49, 3 pessime coniecit *audere* et 36, 6 collato capite antecedenti (in quo Scipionis copiae iam erant enumeratae) optime restituit *cuius?* Tunc sane malis fere credere eundem et in A et in π commissum esse errorem.

Denique quod 134, 9 legitur in U F (et videtur fuisse in ρ) *auxilii raret*, omnino ex coniectura ortum esse nequit, quia, etsi propius ad verum accedit (nam non iam coaluerunt voces), tamen ipsum sensu caret. De his igitur lectionibus quid statuendum sit, difficillimum est dictu, neque si quis ex nescio quo codice eas margini ρ adscriptas

---

[1]) *Apparet in* ρ *(et fortasse etiam in* ρ² *fuisse:* clamitat (ante) et etiam.

[2]) Quod in solo M (N D δ) 119, 3 legitur *ab Scipionis vero*, satis explicatur loco simili 116, 1.

fuisse contendit, eum refutare possis[1]). Primum tamen in quaque lectione per ρ tradita, nonne ex coniectura potuerit oriri, quaerendum est neque plus, quam necessarium est, ignoto illi codici tribuendum.

Quae cum ita sint, imprimis tales loci haud facile possunt diiudicari, quibus ea, quae per ρ traduntur, per se probabilia, in dubium vocantur A π discrepantibus.

Velut, ut hoc afferamus, 118, 7 praeferenda est Woelfflini emendatio *cum de p. r.* lectioni ρ *p. r. quod*; 26, 8 contra, quod praebet ρ *conatur,* etsi librario deberi verisimile est, tamen magis arridet, quam Nipperdei *non moratur* (*non conatur* A D^2 δ π).

Difficillimus est locus 39, 7, ubi codices haec praebent: *paene oppressam funditus deletam* A π; *p. o. f. et deletam* ρ; *p. o. f. deletamque* δ. Woelfflin *p. o funditusque deletam,* quod coniecit Nipperdey, per ρ δ traditum esse ratus scripsit *plane oppressam funditus deletam.* Sed in hac lectione offendit et vox *plane*[2]), et asyndeton bimembre in adverbiis adhibitum; utriusque enim nullum in hoc commentario legitur exemplum.[3]) Qua de causa fortasse etiam hoc loco malit quispiam aut codicis ρ sequi auctoritatem aut ipse ad emendandum aggredi, velut, quod suasit E. Schwartz, scribere *oppressam et paene funditus deletam.*

11, 4 *occupat,* quod praebent A δ Rh π, haud scio an praeferendum sit, quamquam oriri potuit ex praecedenti *coeperat*[4]).

Restat ut de eis locis quaeramus, quibus aut P pugnat contra V M U F aut V contra P M U F aut M contra P V U F aut U F contra P V M (aut denique U et F singuli contra ceteros omnes). Atque quoniam in his quoque per A res diiudicetur oportet, primum de eis lectionibus verba faciamus, quibus A consentit cum uno codice classis β, ceteri dissentiunt. Quae ad unam omnes ita sunt explicandae, ut aut lectio genuina sive vera sive falsa aliquid habeat offensionis ideoque in nonnullis β sit mutata, aut errore in β commisso librarius quidam verum, quod traditum est in A, coniectura invenerit.

---

[1]) Sane concedendum est hac difficultate ea quoque, quae de codicis A origine supra (p. 50 sq.) exposuimus, aliquo modo labefactari. Quod tamen Moelken, qui ab his locis initium quaerendi capit, dimidiam traditionis partem ρ continere concludit, adhuc non possum ei assentiri.

Res ita se habet: Si π ρ coniunguntur, tunc in ρ restant lectiones, quae ex stemmate explicari vix possunt, sin A π, tunc in A (cf. p. 51). Iam vero cum et familiam ρ multo pluribus quam A coniecturis foedatam esse constet, et bonae lectiones graviores sint in A quam in familia Romana, antequam certi aliquid compertum habemus, codicis A partem sequi praestat. Aliis quoque commentariis satis accurate collatis haud scio an melius res perspiciatur.

[2]) Induxit Woelfflin hanc vocem, quia quater legitur in Polionis ad Ciceronem epistulis; cf. editionis eius praef p. XXVI

[3]) Cf. supra p. 64.

[4]) In utroque, et π et ρ, coniectura videtur exstare 144, 12 *ut* A; *ac* π; *et* ρ δ.

De mendis A et P communibus, quae in ceteris correcta sunt, nonnulla supra p. 75 sq. attulimus. Accedunt 71, 6 *factum* A P; *factu* R; 86, 2 *levisque* A P pr. (*levis* V); *levique* P corr. R; alia leviora.

Vera lectio per A P servata est 67, 6 *locumque* A P; *locoque* R; 108, 3 *oppidum* A P; *oppido* R.

Similiter lectionem β unus V servavit: 22, 9 *ex castris numerus* A V et 49, 3 *audes* A D² Lov. V, de quibus locis vid. supra p. 74; 8, 1 *fortuitu* A D² Rh V (recte); *fortuito* R; 42, 13 *atque* A δ V (recte); *aut* R; 9, 7 *abundat* A V; *-dabat* R; 31, 5 *recentis* A D² δ V; *recenti* R; 44,2 *paucitatem* A D² δ V; *paucitate* R; 63, 11 *potius* A V; *potitus* R; 75, 2 *defenditis* A δ V; *defendetis* R; 75, 6 *iacturas* A; *acturas* V; *acturis, actum iri* etc. R; 116, 5 *it̄* A V; *iter* ρ; om. P δ.

Aliis locis veram lectionem in V traditam, quamquam etiam in A exstat, tamen pro coniectura habendam esse persuasum habemus. 24, 5 *equitum* A δ V *equitatum* P U F (= β); *equitatuum* M; 101, 11 *egressis* A δ V; *egressi* P U F (= β); *egressa* M; 101, 13 *progressis* A D² δ V; *progressus* P ρ (= β); 138, 17 *confert se* A; *se confert* D² δ; *se* post *suam* habet V; *confert* P ρ (= β). His enim locis et facile a librario V verum inveniri potuit, et, si per β traditum fuisset id, quod legitur in V, eundem in P et ρ commissum esse errorem valde esset mirandum.

Per A M genuina lectio servata est vera 10, 3 (*ascensus* A δ Rh M [1]); *accessus* π U F), 31, 8 (*hostes iam* cf. supra p. 73) et fortasse 134, 9 (*ut* A δ M i. v.; om. R), falsa 36, 7 (*nuntiabatur* A pr. M; *nuntiabantur* R) et 102, 8 (*moratur* A δ M; *oratur* U F pr.; *hortatur* π F corr.).

Per coniecturam M videtur adaequatus esse Ashburnhamensi 40, 11 *efflagitatum* A (δ) M (item L); *et flag.* π U F (= β); 51, 2 *traditi* A δ M; *sunt traditi* P; *traditis* V U F (= β); 114, 10 *existimabat* A δ M corr.; *existimabant* π M pr. U F; (= β); 144, 6 annos A δ M; anno π U F (= β).

Duobus denique locis minor est discrepantia, quam ut aliquid ei momenti tribuamus: 81, 2 *eis* A δ M; *eius* R; 112, 1 *ab his* A δ M; *alius* V; *ab iis* R.

A U F genuinas lectiones servaverunt 43, 7 *collectam* (*collecta* P M recte); 47, 10 *principes* (A δ U F; *principesque* R); 49, 8 *animum advertisset* (*animadvertisset* V M δ; *animum adverteret* P); 75, 7 *dicundi* (*dicendi* R, nisi quod *dīcdi* P).

Librario lectio U F videtur deberi 55, 12 *turpe* A δ U F; *turbae* π M (= β); 108, 10 *oppio* A U corr. F; *oppido* π M U pr. (= β) δ; 114, 6 *quid* A U F; *quod* π M δ (= β) δ; 126, 2 *frequentes* A δ U F; *frequenter* π M (= β); 140, 6 *in* A δ U F; om. π M (= β).

Leviores sunt duo loci, 94, 6 *ab iis* A U F P pr.; *ab his* P corr. V M δ et 99, 5 *dextram* A δ U F; *dexteram* π M.

---

[1]) Cf. Funck l. l., qui ascensum ad muros intellegit. Woelfflin *accessus*.

Per A U archetypi lectio videtur servata esse 111, 7 *condocefacere* A δ U; *condocefaceret* π M F; *condocet facere* δ; (praecedit enim *ut imperator* et *ut lanista,* ita ut facile coniunctivus oriri potuerit) et 115, 4 *idem* A δ U; *id* π M F. Quod 21, 4 *equitatum* praebent A U pr., ceteri *equitatumque, equitatuumque, equitumque,* haud scio an casu factum sit. 4, 3 *navem* A D² δ Rh U forsitan in utrisque coniecturae debeatur.

Quod et 7,6 et 103, 9 in A U exstat *iis,* in ceteris *his,* vel *is* (103, 9 *alius* V), nihil refert.

Ex F duo commemorandi sunt loci 41, 4 *habuerat armatam* A δ F, quod videtur verum esse; *a. h.* R; 46, 7 *stativis* A δ F; *e stativis* P U *aestatis* V; *in stativis* M.

Similiter iudicandum est de iis locis, quibus duo codices classis β consentiunt cum A.

2, 4 *praetermittere* A δ M U; *praetermitteret* π F. Quamquam speciose Schneider coniecit *ut* ··· *praetermitteret,* tamen haud scio an codicum auctoritatem sequi malis. Nullum enim invenitur exemplum infinitivi historici ab librario inventi (quae leguntur in N, orta sunt aut ex compendio in M male intellecto aut casu), 100, 11 contra primum *esse* in *essent* mutatum deinde ceteras ortas esse mutationes apparet.

22, 8 *magnum* A Lov. M U (sine dubio genuinum); *magnam* π F δ.

67, 1 *ut* A δ et alio loco M F (hi fort. ex coniectura); om. π U.

102, 3 *a portu* A et M F (hi ex coniectura); *a portum* P U (= β); *ad portum* V.

102, 9 *p. a.* A; *p̊. a.* P M (lectio genuina); *postea* V U F; *primum* D² δ [1]).

Ubi denique unus eorum, qui ad β referuntur codicum (P, V, M, U F; U, F) discedit ab ceteris cum A consentientibus, nullam fere illi fidem habendam esse apparet. Nam si quid etiam tum habet boni, ex coniectura fluxisse verisimillimum est.

Cuius generis loci longe plurimi exstant in M: 29, 6 *longitudinem quam maximam* M; *longitudine (-nem* V) *quam maxima* R — 43, 7 *alga e* M δ P corr.; *algam e* R — 48, 3 *se esse;* cf. supra p. 63 — 48, 10 *ordinem* M; *ordine* R — 58, 1 *eis* M; *ei* R — 75, 14 *adversus armatusque* M (hic *-tosque* a pr.) δ; *adversum (-sus* V) *armatos (-to* A) R — 84, 6 *sinistrumque* M δ; *sinistramque* R — 97, 8 *quod* M; *ut* R — 98, 1 *laborabat* M; *laborat* P (*-ret* a pr.) V U F; om. A δ — 102, 3 *portu in salo* M δ; *portum salo* π U (= β); *portu salo* F; *portu* A — 107, 3 *invento* M; *iumento* A π U F; *iumentorum* δ — 114, 8 *rapsaret* M; *rapsare* A P U F; *repsare* V; *raptaret* D² δ - 119, 3 *ab (a* δ) *scipionis vero* M δ; *om.* R; cf. 115, 12 *ab suis castris milia passus V, a Scipionis* etc. — (137, 4 *contendit* M pr. δ; *intendit* M corr. R)[2]).

---

[1]) 92, 1 *patres,* quod habent A sec. M, in utroque per coniecturam videtur inventum esse.

[2]) De 72, 5 (*qui* om. M) cf. infra, ubi lacunae codicum componentur.

Non plane constat de lectione M (cf. p. 6 adn. 3) 65, 6 *quarum;* 89, 6 *militibus;* item 32, 4 *complures;* sed hoc, si traditur, falso tradi existimaverim.

Dubitari potest de 88, 13 *ipsi* M δ; *ii* U F; *usi* P; *illis usi* V; om. A; quo loco *hi* proponit E. Schwartz, cum opponantur *ceteri.*

Ex U F commemorandi sunt hi loci: 15, 7 *postumum* U F; *postumium* R — 48, 6 *condocefacere* U F; *condocerefacere* A π M pr.; *conducere* M corr. δ — 94, 3 *educunt* U F; *deducunt* R — 127, 1 *item* U F; *idem* R — 133, 7 *hortatur* U F D² δ; *hortatus* R.

Librarius U verum tetigit 17, 8 (*exercitus* U D² δ; *exercitui* R), item librarius F 124, 7 (*victoria parta* F; *victoriam partam* R) et 125, 4 (*tubicen a* F; *tubicin a* A; *tubicina* π M U; *tubicen* D² δ).

Librario V haec debentur: 87, 1 *prospectui* V; *prospectum* A P ρ; *prospectibus* δ — 122, 14 *confecta* V δ; *confecto* R[1]).

Idem denique iudicium ferendum est de codice *P.*

49, 3 *rudes* P; *audes* A D² Lov. V; *audere* ρ δ. Sed quamquam hoc loco omnes editores P secuti sunt, tamen num verum tetigerit librarius, dubitandum est. Displicet sane elephantos ‚*multorum annorum doctrina ususque vetusto vix edoctos*' rudes dici — 59, 8 *proconsul lilybeo* P; *proconsul e. lil.* V ρ δ; *proconsul clylybeo* A — 63, 9 *montis* P; *montes* R — 91, 6 *contra* P; *contraque* R — 100, 10 *ne iugo* P; *ni iugo* A V U F; *in iugo* M; *vi iugo* δ — 110, 13 *autem* P; *interim* R.

Quae cum ita sint, huic quoque codici ne plus tribuatur, cavendum atque non semel Woelfflin in hac re videtur errasse.

12, 3 *cohortibus paucis ex veteranis, quas secum habebat* A δ Rh V ρ *et veteranis* P, quem sequitur Woelfflin. Sed vereor, ut hoc stare possit. Nam et eo, quem ipse attulit, loco (19, 3) et semper in tali coniunctione evadit sensus gradationis, qui sane huic loco minime aptus est. Immo quoniam 9, 8 parum accurate auctor scripsit: *non satis copiarum et eas tironum,* nonne hoc loco audacius est ex vocabulo *paucis* concludere sex minimum cohortes veteranas Caesari adfuisse? Nonne bene huius auctoris scribendi generi accommodatur, ut ‚*paucis ex veteranis* etc. non opponatur pluribus veteranis, sed omnium, quas secum habebat, numero? (‚*paucis cohortibus electis ex veteranis quas secum habebat*', ita ut praedicativo quodam sensu intellegendum sit *ex veteranis* neque, si paucae sunt duo, omnino plus tres vel quattuor cohortes veteranas fuisse oporteat.) Quod si cui displicet tunc, praestat cum Schneidero scribere *quas ex veteranis secum habebat,* sicut 18, 6 *quae ex veteranis legionibus* etc. Eo magis enim hoc loco codici P diffidas, quia insequenti versu in V legitur *ex parte,* ex quo colligitur in π

---

[1]) In compluribus horum codicum verum inventum est 81, 10 (*adventu* V M δ).

falsae lectioni *et* in margine veram adscriptam fuisse, quam per errorem ad duos locos rettulerit librarius V.

25, 1 in P pr. exstat *equites*, quod cum ortum esse videatur ex vocibus, quae mox sequuntur, *comparare se coeperunt,* est repudiandum.

Neque magis 63, 1 *in quo*, quod legitur in P, est cur accipiamus, quia etiam in *comportata fuerant* inesse potest notio motionis. Lectio *in quod* igitur defenditur et codicum auctoritate et eo, quod paulo difficilior est.


Ex mero librarii errore videtur natum esse 109, 3 *inferri* P. Quod enim Woelfflin dicit *inferri* referendum esse ad signiferos, hoc cum artificiosius est, tum refellitur locis similibus 125, 5 *ab universis cohortibus signa in hostem coepere inferri* et 29, 7 *ut una* (scil. *cohors*) *post, altera ante signa tenderet,* quibus *signa inferre* vel *signa tendere* de ipsis cohortibus dicitur. Ceterum *comportari,* quod ex R (praet. A) affert Woelfflin, legitur in uno L.

Restat locus sane difficilis, quo omnes inde ab Nipperdeio editores codicis P auctoritate ad coniecturam sunt adducti. Legitur enim 110, 6 *in horis IIII* (vel *quattuor*) in A δ V ρ, in uno P *in horam IIII. In horam* scripserunt editores, quia ridiculum videbatur Caesarem non totos C passus in quattuor horis esse progressum.

Rem exponamus oportet. Castra Caesaris et Scipionis inter se distant milia passuum VI; oppidum Zeta abest ab his mil. pass. X, ab illis mil. pass. XVIII. Sic traditi sunt numeri (107, 7, 10, 12), qui sane certare videntur cum praeceptis mathematicorum. Sed quoniam *XIIII*, quod pro *XVIII* legitur in L, non traditum est, neque, in quo numero lateat corruptela, neque, quid scribendum sit, possumus scire. Nisi forte etiam hoc stare potest per XVIII mil. pass. significari non ipsum, quod intercedebat, spatium sed iter, quod re vera faciendum erat Caesari. Nam si in recta fere linea sita erant castra Caesaris, castra Scipionis, oppidum Zeta, apparet eum iter flectere debuisse, ne praeter ipsas castrorum portas praeteriret. — Iam Caesar ad hoc oppidum proficiscitur (praeter Scipionis castra) atque eo capto, postquam contra duas hostium legiones, qui in agris frumentantur, nihil profecit, revertitur. In itinere, non longe a castris Scipionis, id est, postquam decem fere mil. pass. progressus est, assiduis hostium incursionibus valde impeditur, nam modo ad pugnandum modo ad proficiscendum milites parati esse coguntur. Modo de hoc tempore dici posse illud *C passus in horam* vel *in horis IIII* consentaneum est. Quid, quod hoc ipsum tempus IIII horas fuisse auctor vult significare? *In horis IIII* tunc explicandum est: *in proximis quattuor horis*, id est, quamdiu ab hostium equitatu Caesar vexabatur. Ac si quis tamen *in horis IIII* ridiculum esse putet, tunc ei opponendum

est et certe non multo minus ridiculum esse *in horam* et saepius talia legi in commentario, quam ut hoc loco fortasse non librarium quendam sed ipsum auctorem corrigere audeamus. Cf. 110, 13 *non amplius III aut IV*; 11, 8 *minus XXX*.

Sed iam criticis quoque rationibus, quae de belli Africi codicibus diximus, satis comprobasse nobis videmur. Stemma igitur omnium codicum hoc est:



Iam, si recte nos recensionem libelli instituisse convenerit, de auctore quid sequatur, quaeramus.

Ac primum quidem hoc nostrum est diiudicare, rectene Woelfflin textum commentarii constituerit an non, quoniam ipse confitetur (praef. p. XXXI) hoc se velle efficere, ut sermo commentarii Asinio Polione dignus esse videatur. Quod ut fiat, maxime sibi prodesse putat interpolationes illas, quas huic commentario inesse statuit ad trecentas easque non grammatici sed ludimagistri.

Quae res sane in se ipsa multum habet offensionis. Nam quod in sententiis Publilianis permultae inveniuntur huius generis interpolationes, illas in scholis usurpatas esse notissimum est; bellum Africum num re vera inter illos *,optimorum scriptorum'* libros fuerit, qui

ut ‚*ingenio puerorum maxime apti*' in scholis legebantur, eo magis dubitandum est, quoniam nusquam in ceteris Caesaris, Hirtii etc. commentariis, a quibus unquam bellum Africum seiunctum esse plane nescimus, tales interpolationes inveniri possunt. Summa igitur in tali re caute agendi exstat necessitas.

Iam vero, quod ad codicum attinet auctoritatem, primum monendum est longe maximam partem illarum interpolationum (scil. quibus omnino codice nititur Woelfflin) eiectas esse ex fide codicis Leidensis. Cf., quos ipse Woelfflin affert, locos praef. p. XIX sq.

I. De particulis coniunctionis: 47, 1 *funditus* L V; 61, 6 *tua* L D[1]; 78, 5 *propius* L pr.; 89, 4 *quod* L; 103, 9 *omnibus* L M D[2] δ; 109, 12 *pariter* L; 125, 2 *sibi* L; 135, 8 *ceterarum* L pr., sed *que* i. v., quod tacet Woelfflin; 136, 3 *circiter* L; 143, 5 *praemiis* L; 113, 6 *stridoremque* L (*stridoremq* P pr. deleto *q*; apud Florum 1, 13 (18), quem locum ipse laudat Woelfflin, praeter odorem et stridorem etiam magnitudo et deformitas, id est species, bestiarum commemoratur!).

II. De pronominibus et substantivis adiectis. 13, 8 *ei* om. L; 21, 4 *oppidum* om. L; 21, 8 *hostibus* om. L; 44, 4 *suis* om. L; 52, 10 *se* om. L; 57, 8 *ab eo* om. L; 65, 5 *singulae* L i. v.; 71, 2 *se* om. L; 71, 10 *suis* L i. v.; 89, 1 *ipse* om. L; 89, 8 *te* L; om. R (per errorem videtur hoc loco commemoratum esse); 92, 10 *eum* om. L; 116, 3 *ab se* om. L (*ad se*, quod habent A δ, ante *ad dimicandum* facillime committi potuit); 120, 14 *sui* om. L D[1]; 138, 17 *M* om. V L (sed legitur in P *cūm* littera *m* arrasa, in π igitur *cūm* fuit, ita ut facillime et in V et in L *M* omitteretur.).

III. De adverbiis, praepositionibus, coniunctionibus. 3, 6 *autem* L in marg.; 17, 3 *in* om. L; 83, 8 *postquam* om. L δ (scil. uterque ex coniectura; criticis rationibus potius *cum* delendum esse patet); 85, 8 *ante* om. L; 98, 4 *varie* om. L; 100, 10 *contra* om. L; M i. v.; 105, 1 *clam* om. L V (*fla* P = π!); 106, 5 *iam* om. L δ (*tam* A, *cum* π!); 116, 11 *sub* om. L; 79, 8 *quam* L.

Omnibus igitur talibus locis, quoniam per codicem Leidensem interpolatio detegi non potest, prorsus nulla codicum auctoritate nititur Woelfflin.

Sed ne ex reliquis quidem, qui ad β referuntur, codicibus nos quidquam lucrari facile intellegetur collatis eis locis, quibus Woelfflin verba in eis omissa uncis inclusit: 79, 2 *ita* om. P V — 144, 1 *eorum* om. P V (*conventui eorum* om. M) — 47, 6 *in Siciliam* om. P — 74, 8 *eius* om. P — 116, 5 *iter* om. P δ — 141, 11 *iterque in Hispaniam intendebant* om. P — 72, 5 *qui* om. M — 44, 6 *coniunctis suis copiis* om. U F — 141, 4 *ferro* om. U F.

Quarum vocum plurimas per errorem, nonnullas etiam consilio ab librario omissas esse patet; ac si quas forte recte deletas

esse concederemus (velut 44, 6; 72, 5), hoc ad locos sanandos non sufficeret.

Unus codex, quem ad interpolationes aliorum investigandas alicuius momenti esse credas, est Ashburnhamensis, quippe qui probatis scilicet eis, quae de origine eius exposuimus, dimidiam traditionis partem contineat. Et uno loco sane (27, 3) vocem *horae*, quae omittitur in A ζ, delendam esse nemo est, qui neget. Praeterea 23, 3 *eam* tolerari vix potest[1]) et 118, 6 praestat vocem *male* ut ab inepto quodam homine additam delere, quam cum Vascosano emendare *a se*, quod plane supervacaneum est. Tamen praeterquam quod his locis lectionem A coniectura inventam esse posse concedendum est, tantum abest, ut etiam ceteris, quos in praefatione Woelfflin attulit, locis codicis A auctoritatem sequi debeamus, ut nonnullis, si quidem recte perspexerimus, ne possimus quidem vocem omittere. Velut 46, 12, si conferas 17, 1: *regium enim equitatum Scipio ex provincia Africa alebat,* hoc quoque loco apte dici *Africam provinciam* non dubites[2]); hortatur Caesar magistratum Romanum, ut quam celerrime provinciae Romanae auxilium mittat. 81, 6 *Jubae,* quod deest in A, si in nullo codice esset, iamdudum coniectura additum esset[3]). Similiter 32, 10 in loco me quidem iudice desperato *Caesaris* omitti non posse vel ex locutione *auxilia subministrare* intellegitur, quippe quae cum *adversariis* coniungi nullo modo possit (nusquam enim legitur subministrare notione opponendi indutum, neque magis probanda est Funckii sententia[4]), quoniam ironia, quam ille vult statuere, ab huius scriptoris pusillo ingenio est alienissima.). Ceteris vero locis voces in A omissas delendi nulla est necessitas, praesertim cum plus tricies in A voces deesse videas, quas plane necessarias esse ne Woelfflin quidem negavit.

Iam etiam hic codex quantum ad interpolationes investigandas valeat, apparet. Trecentas igitur cum Woelfflin statuit interpolationes nulla fere nititur codicum auctoritate.

Neque magis ut interpolationes illas probemus, adducimur commentarii sermone. Primum enim vel omnibus, quae iubet Woelfflin, verbis eiectis restant, in quibus offendas, satis multa neque talia, quae delendo atque includendo sanari possint. Velut, ut pauca afferam, 3, 4 *legionibus collectis VI* · · ·, *ut quaeque prima legio venerat,* · · · *imponebantur;* 4, 2 *de omnibus*

---

1) Quae Moelken p. 30 exposuit, quamquam in universum probanda sunt, tamen ad hunc locum defendendum non sufficiunt. Nullum enim attulit locum, quo plane desideretur pronominis demonstrativi relatio.

2) Idem cognovit Moelken, p. 54 adn.

3) Ceterum hanc vocem Woelfflin, quamquam in praefatione in interpolationum numero habuit, tamen neque in textu neque in apparatu critico uncis inclusit.

4) Cf. Philolog. XLIX p. 670.

rebus praecipit et de reliquo exercitu celeriter imponendo; 19, 3 *parva enim cum copia · · · neque omni exposita · · · se expositos videbant*[1]*);* 62, 1 *nunc data facultate pro speculatoribus missi ab Scipione ad te cupidissime venimus, ut perspiceremus num quae fossae aut insidiae elephantis · · · factae essent simulque consilia vestra · · · cognosceremus atque eis renuntiaremus (ut* scriptor referri vult ad *missi!);* 109, 13 *cum hoc saepius facerent et proficiscentes Julianos insequerentur, refugerent instantes, propius non accederent et singulari genere pugnae uterentur eosque iaculis convulnerari satis esse existimarent* (molestissime interrumpitur enumeratio: insequi, refugere, propius non accedere, iaculis convulnerare, per voces *et singulari* etc., per quas non singulis singula adiciantur, sed tota pugnandi ratio describatur.).

Itaque si verum esset, quod ait Woelfflin, non semel hunc auctorem summi oratoris virtutes prae se ferre, tunc sane eundem aliis locis pueriliter garrire concedendum esset. Re vera autem subsistendum est in Nipperdei sententia, qui dicit (praef. p. 22): *‚iam in scribendi genere eum facile apparet grandem quendam atque elatum videri voluisse, sed impar negotio effusus et redundans et tumidus evasit neque facere potuit, quin tota compositio impolita atque aspera exsisteret'.* Addendum est, quod ad simplicem rem simpliciter narrandam suffecit ei indoles, defecit ubicunque aut rem difficiliorem tractare aut de causis rerum atque de animi motibus verba facere conabatur.

Omnibus igitur partibus cum displiceat Woelfflini ratio textus constituendi, simul critica quoque ratione refellitur sententia Landgrafii, quem in ipsius, ut ita dicam, provincia iam antea vicerunt Koehler, Schneider, Moelken, alii.

Fusius de auctoris indole atque dicendi genere disserere omitto, quoniam, quaecunque Fröhlich et Koehler reliquerunt, fere omnia Moelken in priore commentationis parte exposuit. Duas tamen res, ad quas minus adhuc viros doctos animum intendisse puto, paucis absolvam.

Ac primum quidem recte eisdem verbis, particulis, locutionibus usque repetitis fastidium creari viri docti monuerunt. Sed ut verba et locutiones, sic etiam rem quandam, qua aut legentium animos delectare aut etiam acumen ingenii prodere sibi videretur, non semel auctor bis ac ter tractavit.

Cf., quae de equitibus Numidis levique armatura variis locis exponuntur.

11, 10 · · · *Caesar iter constitutum ire contendit. Quod cum saepius facerent et modo insequerentur, modo rursus ab equitibus in oppidum repellerentur,* · · · *109, 6 Cum iam Caesar · · · iter inceptum pergere coepisset, iterum · · · erum-*

---

[1]) Cf. 44, 6 ubi Woelfflin voces *coniunctis suis copiis* hac quoque de causa delet, quia ‚ablativus absolutus dissidet cum verbis *copias suas admovere.'*

punt · · ·. *Cum hoc saepius facerent et proficiscentes Julianos insequerentur, refugerent instantes* · · ·.

11, 7 *Accidit res incredibilis, ut equites minus XXX Galli Maurorum equitum duo milia loco pellerent fugarentque in oppidum.* — 110, 13 *Caesaris autem non amplius III aut IV milites veterani si se convertissent* · · · *amplius duum milium numero ad unum terga vertebant* · · ·. 25, 7 *Hic cum Caesariani in eos impetum fecissent, illorum equites refugiebant* · · ·.

26, 4 *equites autem hostium pilum militis facile cursu vitabant.* — 112, 2 *illi veloci cursu periculum facile vitabant.* Etc.

Similiter, quod 8, 9 tetigit, certamen de imperatoris nomine *(Tum captivus: Imperatore a Caesare. Tum Considius: Unus est, inquit, Scipio imperator hoc tempore populi Romani.)*, de eodem centurionem loquentem facit 75, 8: *Pro tuo summo beneficio, Scipio, tibi gratias ago — non enim imperatorem te appello;* et ne 135, 3 quidem, quin graviter addat *imperatori*, facere potest.

Atque ut haec doctrinae rhetoricae debentur a parvo sane adhibitae ingenio, ita alia partium gratia ab auctore prolata esse negari non potest. Caesaris quidem partibus auctorem totum se addixisse satis multis vel a Nipperdeio exemplis comprobatum est, neque rem tritam retractemus oportet. Unum tamen premendum est, ex quo auctoris cum indoles tum fides historica melius perspiciatur. Non solum ineptias [1]) proferri in hoc commentario videtur demonstrari posse, sed etiam ipsum rerum statum partium gratia prave referri. Imprimis, ut hoc afferam, in initio belli, quanto periculo Caesar perpetuo versatus sit, summa diligentia auctor nos celat. Cujus rei duobus utar exemplis, primo cap. 7, 4.

Interim Caesar a mari non digredi neque mediterranea petere propter navium errorem equitatumque in navibus omnem continere, ut arbitror, ne agri vastarentur. Re vera causa haec videtur fuisse, quod Caesar in terra hostibus impar, si illi aggrederentur, vela dare in animo habebat, nam ‚*aquam in naves iubet comportari*' [2]).

Multo luculentius exemplum est cap. 31, quod totum circumscribere oportet.

Caesar hoste procedente milites in castra iubet redire. Hoc narratur in paragraphis 1—3 [3]). Iam sequuntur meditationes. Primum

---

[1]) Cf. cap. 10, 3: *Neque quicquam solatii in praesentia neque auxilii in suorum consilio animum advertebant, nisi in ipsius imperatoris vultu vigore mirabilique hilaritate: animum enim altum et erectum prae se gerebat. Hic acquiescebant homines et in eius scientia omnia sibi proclivia omnes fore sperabant.* — Hoc unum dolendum, quod ex ipsius auctoris narratione Caesar non adest.

[2]) Cf. Moelken p. 19, qui de re idem sentiens imperitiam tamen auctoris quam studium partium accusare mavult.

[3]) Eadem arte rem importunam multis verbis celandi auctor utitur cap. 5.

admiratio Caesari tribuitur merita: *At haec non per se coram, cum de vallo prospecularetur, sed mirabili praeditus scientia bellandi in praetorio sedens per speculatores et nuntios imperabat, quae fieri volebat* (scil., ut milites redirent atque suo quisque loco paratus armatusque praesto esset!). Alterum exponitur, quam tutus Caesar in castris fuerit ab hostium incursionibus. Defenditur enim maxime ipsorum adversariorum inertia atque animi conscientia[1]), quibus *nunquam tanta suppeteret victoriae fiducia, ut castra sua adoriri auderent,* tum suo nomine auctoritateque, tum egregiis munitionibus castrorum, *quae vel sine defensoribus aditum adversariis prohibebant* (!), et praeter haec omnia etiam *telorum, quae ad defendendum solent parari,* (quamquam ex auctoris narratione eis omnino non opus erat) *magnam copiam habebat.* — At si tanta sunt adversarii inertia atque concientia animi, cur Caesar in acie cum eis pugnare non audet? — Scilicet *propter exercitus sui praesentis paucitatem et tirocinium, non hostium vi et metu commotus.* — Ne vero credat quisquam, si Caesar copias eduxisset in aciem, vel fieri potuisse, ut inferior ex proelio discederet! Hoc fieri nullo pacto potest. Immo: *Neque idcirco copias non educebat in aciem, quod victoriae suae diffideret, sed referre arbitrabatur, cuiusmodi victoria esset futura: turpe enim sibi existimabat, tot rebus gestis tantisque exercitibus devictis, tot tam claris victoriis partis, ab reliquis copiis adversariorum suorum cruentam adeptum existimari victoriam. — Itaque constituerat gloriam exultationemque eorum pati, donec sibi veteranarum legionum pars aliqua in secundo commeatu occurrisset.*

Vel ex hoc uno capite satis intellegitur fidem auctoris Caesari oblatam multo fuisse maiorem quam ingenium et studium veritatis. Ex qua ratione etiam de fide historica huius commentarii iudicandum esse equidem persuasum habeo, id quod uno exemplo ex cap. 6 petito illustretur.

Hanc enim rem ita narrat Dio Cassius 42, 58, 4: προσέβαλε τῷ Ἀδρυμήτῳ, ἀποκρουσθεὶς δὲ καὶ προσέτι καὶ ἐκ τοῦ στρατοπέδου βιαίως ἐκβληθείς κτλ. conferatis quaeso auctorem belli Africi. Primum cap. 5 mirum quot verbis exponere studet, qua de causa Caesari *non sit visa ratio ad oppugnandum oppidum commorandi.* Deinde cap. 6 narrat Caesarem ultro e castris egressum in itinere ab hostibus vexari. Ipsa pugna apud utrumque auctorem eodem modo committitur: Caesarem iter facientem (vel potius se recipientem) hostes persequuntur; quomodo orta sit, prorsus diverse narratur, versimilius certe apud Dionem Cassium. In commentario enim primum miro quodam modo, utrum Caesar iam reliquerit castra necne, in incerto relinquitur (10, 7 *castra*

---

[1]) De peccatis atque sceleribus adversariorum sermonem esse tolerari potest, ipsis vero adversariis peccatorum conscientiam adscribere, vel apud hunc auctorem suetum ineptiae modum excedit.

cum movere vellet — 11, 3 *castra unde Caesar egressus iter facere coeperat*) — non sine causa sane, nam si vacua erant castra, quo consilio hostes occupaverint, vix intellegitur, sin aliter, Caesarem eiectum esse patet. Praeterea suspicionem movent auxilia illa equitatus, quae nuntiantur venire in cap. 5 (scil. ut per ea quoque Caesarem ad proficiscendum commotum esse ostendatur), casu tamen succurrunt in cap. 6. Qua de causa si duos illos locos respicias, quibus partium gratia auctorem res immutasse ostendimus, hic quoque idem factum esse vereor ne credas.

APPENDIX.

Restat ut de codice B, cuius partem opere confecto me collatam accepisse supra commemoravi, verba faciam.

Lectiones codicis in apparatum criticum inserui, hoc loco primum subscriptiones, quarum pars mirum in modum ab ceteris codicibus discedit, sunt commemorandae.

Legitur in fine libri b. G. VII litteris maiusculis: *Gaii Julii Caesaris historiae belli Galliae a se confecti liber VII explicit Auli Hircii prologus* (sed haec tria verba in ras. litteris minusculis; videtur fuisse *Tranquilli*) *viri clarissimi liber VIII incipit belli eiusdem.*

Item in fine lib. VIII: *Suetonii viri* (haec duo verba in ras., sed eadem manu) *clarissimi de bellis civilibus Caesaris Gai Julii liber primus incipit.*

Item post b. c. lib. I (II): *Suetonii Tranquilli viri clarissimi de bellis civilibus Caesaris liber I explicit (expl. lib. secundus), incipit secundus (tertius).*

Item post b. c. III: *Suetonii Tranquilli viri clarissimi de bellis civilibus Caesaris explicit liber tertius, incipit liber quartus Julii Constantini Caesaris bellum Alexandrinum.*

Item post b. Al.: *Suetonii Tranquilli de bellis civilibus Caesaris liber quartus explicit, incipit liber quintus de bello eiusdem in Africa.*

Item post b. Af.: *Suetonii Tranquilli de bello Caesaris Africano liber quintus explicit, incipit liber sextus de bello eiusdem in Hispania.*

In fine codicis deest subscriptio.

E quibus subscriptionibus haud scio an aliquis colligat codicis originem a nostris plane diversam esse. Tamen si quis faciat, errat[1]).

Immo quicunque eas apparatus partes, quibus lectiones Borbonici continentur, perlegerit, hoc statim intelleget codicem B artissimo

---

[1]) Dubitari non potest, quin subscriptiones quoque debeantur ipsius codicis librarii studio atque doctrinae, per quem non pauca pessime interpolata esse infra explicabitur. Hoc unum notetur libros de b. G. I—VII ab hoc librario non Suetonio esse adscriptas, id quod factum est apud Orosium, Apollinarem Sidonium, alios.

vinculo coniunctum esse cum A, aut scilicet ex eo descriptum aut ex eodem, quo ille, archetypo natum.

Quod ut comprobetur, satis est delegare legentes ad 3, 2; 3, 7; 4, 3; 6, 8; 7, 8; 16, 8; 18, 3; 24, 10; 30, 6; 31, 11; 33, 2; 33, 11; 34, 8; 36, 7; 138, 18; 139, 1; 140, 2; 141, 2; 142, 10; 143, 4; 143, 10; 144, 9 etc.

Utrum statuendum sit, si quaeritur, hoc sane maximi videtur esse momenti: lacunae, quas in his capitibus A continet, ad unam omnes etiam reperiuntur in B, huic contra non semel voces desunt, quae leguntur in A.

1, 8 sibi *om. A B* δ — 4, 5 certo *om. A B* δ *Rh* — 7, 1 numerus *om. A B* — 9, 2 statim *om. A B* — 17, 2 esse *om. A B D*² δ — 17, 11 idcirco *om. A B* δ — 18, 8 ab *om. A B* δ — 22, 1 sui *om. A B* δ — 23, 3 eam *om. A B* — 28, 1 tiro *om. A B* — 31, 11 languide *om. A B* — 32, 10 Caesaris *om. A B* δ — 33, 6 autem *om. A B D*² δ — 138, 18 Zamenses *om. A B* — 142, 10 peterent *om. A B* — 143, 4 contra *om. A B* δ — 143, 10 H S XX conventui ··· eorum *om. A B* (δ) — 144, 13 ibi ··· iuverant *om. A B* — — 21, 4 equitum *om. B* — 23, 4 equitum *om. B* — 26, 5 milites *om. B* δ — 137, 11 atque *om. B* δ — 139, 7 duces complures *om. B* — 141, 10 faceret *om. B.*

Item ordo verborum novem locis in B eodem modo mutatus, quo in A, quinquies turbatus legitur in B, ubi recte se habet in A.

1, 4 Ian. k. *A B* — 4, 1 vendit publice *A B* δ *Rh* — 10, 5 est Caesar *A B* δ *Rh* — 17, 11 invento frumenti *A B* δ *Rh* — 21, 6 cognitum est *A B (om.* δ*)* — 24, 10 se enim *A B* δ — 31, 1 se in castra *A B* δ — 31, 5 defatigata vulneribus *A B* δ — 31, 7 esset iam reliqua *A B* δ. — — 25, 6 concurrunt cum equitibus *B* (δ) — 28, 2 periculum vos *B* (δ) — 33, 3 legiones veteranas Romae *B* δ — 142, 4 vivos capit cum coniugibus et liberis *B* δ — 144, 8 iuverant pecunia *B* (*D*² δ). ***Obstant duo loci:*** 22, 9 quorum parvus ex castris numerus *A V*; quorum parvus numerus ex castris *B P et* 23, 2 procul conspici hostis posset *A*; procul hostis conspici posset *B* δ β; *sed utroque lectionem B coniectura ortam esse facile intellegitur.*

Quodsi toto commentario idem observari potest, id quod sane verisimillimum est, non dubium, quin codicem B ex A descriptum esse statuendum sit[1]).

Sed quamquam in textu constituendo tunc eo uti non possumus, alia tamen ratione hic codex haud parvo nobis usui est. Videtur enim fere demonstrari posse, codicem B esse archetypum recentium

---

[1]) Quod nonnusquam etiam ab eo discedit, satis eo explicatur, quod magis fere quam ceteri omnes codex B coniecturis est foedatus, id quod ex eis lectionibus, quas in tabula p. 91 asterisco notavimus, satis elucet.

illorum, qui quomodo cum A cohaererent, accurate discernere supra non potuimus. -- Videamus lectiones:

A β	**B** δ
6, 5 equites	equitum* D^2 *Rh*
8, 4 potestatem	facultatem* *Rh*
8, 10 tum	tunc
14, 2 aquam	aquamque* *Rh*
16, 8 necne	neque* D^2 *Rh*
16, 9 nullum	ullum* D^2 *Rh*
18, 2 praesidioque	praesidio
20, 3 proclivia	procliva
22, 1 ne nihil *A*; nihil π; uti nihil ρ	ne*
23, 5 sagittariis	sagittariorum*
24, 3 interposuerant	interposuerunt
25, 2 equitatum	equitatus
30, 2 adortus (-tatus *P*)	adortis *B*; ardortis δ
30, 11 equitibus	equis* D^2
31, 5 iumenta	iumentaque* D^2
31, 5 siti	sitis D^2
33, 11 condidicerat	condocuerat* D^2
34, 5 petreiano	a petreiano *B*; a petreo δ
34, 6 tanto	tantis* D^2
37, 1 plumbum	plumbumque* D^2
137, 14 operibus maximis	opus maximum* *B* (quoque *A B*π!); *om.* δ (*scil. consulto, cum in* X quoque *correctum esset*)
138, 4 dein	dehinc
138, 10 precibus	precibusque*
138, 11 penates (-tis *P V pr. U*)	penatesque*
138, 15 responsum	responsi* *B*; respondi δ
138, 17 confert se *A*; confert β (*praet. V*)	se confert* D^2
140, 9 interfectos	aut interfectos D^2 *M pr.*
140, 10 attulisse	intulisse
140, 14 sibi suisque liberis	sibi prodessent suisque lib.* *B* δ; sibi suisque prodessent lib. D^2
141, 8 interpulso *A* π *F*; item interpulso *M U*	interim pulso* D^2
142, 4 coniuge	coniugibus* D^2
144, 5 arbitros ··· datos	arbitris ··· datis*
144, 6 ponderis	ponderibus*
144, 8 militibus	militaribus D^2

A β	B δ
144, 9 umitatem *A*; humilitatem β	unitatem*
144, 12 caralis (a car. *U F*)	cararis *B*; calarim *D*² δ (cararis *suprascr.* l·*igitur X*)
144, 15 diem IV	diem III

Cf. praeterea quinque illos locos, qui ad collocationem verborum spectant, quos supra p. 90 attulimus. Lacunarum, quas continet B (cf. p. 90), non paucae desunt in δ, sed quomodo hoc explicandum esset, supra p. 55–60 satis videtur esse expositum.

Obstare videntur quattuor loci: 17, 1 *ex* A δ π U F; *et* B M — 34, 2 *et* A D² δ; *ex* B β — 140, 13 *reliquas* A δ V pr.; *reliquias* B β — 143, 7 *ibique Sallustio* A; *ibi Sall.* B π (ex coni.); *ibi Q. Sall.* ρ; *ibi Crispo Sall.* D² δ. Quibus, quamvis sint pauci, si quis satisfaciendum esse putet, tunc non ex ipso B, sed ex fratre eius ipsi simillimo recentes natos esse sumat.

In universum igitur spectantibus nobis quidem veri simillimum videtur esse et recentes ex B et hunc manasse ex A, ita ut remotis ex apparatu critico B δ D² (Rh Lov.) L N D solis A · P V · M U F posthac nitatur recensio.

VITA.

Natus sum Wernerus Müller Suerini, in urbe Megalopolitana, die XIX anni h. s. LXX patre Friderico, matre Marianna e gente Schulz. Fidem profiteor evangelicam. Elementis litterarum imbutus vere anni LXXX in patria in gymnasium Fridericianum receptus sum. Quod postquam percurri, autumno anni LXXXVIII Berolini civibus academicis adscriptus sum. Unum deinceps semestre Monachii, duo iterum Berolini, tria Rostochii studiis philologicis operam navavi. Examina publica mense Decembri anni XCII Rostochii absolvi.

Docuerunt me viri illustrissimi Diels, Ebbinghaus, Huebner, Kirchhoff, Paulsen, E. Schmidt, Vahlen, Weinhold, Zeller Berolinenses; Christ, Golther, Hofmann †, Woelfflin Monacenses; Bechstein, Koerte, Reitzenstein, Schwartz, de Stein Rostochienses. Berolini per sex menses interfui exercitationibus seminarii germanici, quod moderatur E. Schmidt, proximoque semestri, cum illius essem sodalis ordinarius, ad eam quoque partem, qua vetus nostra lingua tractatur, me Weinhold, ad exercitationes philologicas Vahlen admisit. Rostochii seminariis philologico, cui praeerant Schwartz et Reitzenstein, et germanico, quod moderatur Bechstein, per quater sex menses interesse mihi licuit, exercitationibus archaeologicis per tria semestria me Koerte admisit. Quibus viris omnibus gratiam habeo quam maximam, imprimis vero Ricardo Reitzenstein, cui, si quid hac commentatione profeci, uni debeo.